LIBRARY OF PRINCETON
3-26-49
THEOLOGICAL SEMINARY
PJ7701
.A16

ABULFATHI

ANNALES SAMARITANI.

QUOS

ARABICE EDIDIT CUM PROLEGOMENIS
LATINE VERTIT ET COMMENTARIO

ILLUSTRAVIT

EDUARDUS VILMAR,
PHIL. DR. THEOLOGIÆ LICENTIATUS MARBURGENSIS.

GOTHÆ MDCCCLXV.
SUMTIBUS FRIDERICI ANDREÆ PERTHES.

Abu'l Fath

LIBRARY OF PRINCETON
MAR 26 1949
THEOLOGICAL SEMINARY

ABULFATHI

ANNALES SAMARITANI.

QUOS

AD FIDEM CODICUM MANU SCRIPTORUM

BEROLINENSIUM BODLEJANI PARISINI

EDIDIT

ET

PROLEGOMENIS

INSTRUXIT

EDUARDUS VILMAR.

GOTHÆ MDCCCLXV.

SUMTIBUS FRIDERICI ANDREÆ PERTHES.

Gissae, typis W. KELLER.

PRAEFATIO.

Jam inde ab eo tempore, quo me ad Judaicarum litterarum studia colenda conferre coepi, aliquod existimavi nostram de populi Israëlitici religionibus cognitionem capere posse incrementum, si quae de eo comperta habemus cum Samaritarum ritibus et dogmatis denuo idque accuratius quam antea factum erat contendere ac comparare liceret. Quo consilio abhinc biennium fere profectus sum Berolinum, ut illam librorum Samaritanorum gazam, quam a Petermanno in Orientis plagis coëmtam et bibliothecae regiae illatam esse acceperam, quantum vires meae ferrent, excuterem et examinarem. Quod quum facerem primum incidi in duo exempla manu scripta, quibus Abulfathi annales Samaritani Arabico sermone conscripti continentur. Qui liber vel leviter a me inspectus et perlustratus tamen praeclare respondere visus est exspectationi meae. Videbam enim plurima eo contineri, quae proposito meo convenirent. Quare ut liber mihi in aliquod tempus permitteretur statim cum viro illustri G. H. Pertz, bibliothecae Regiae praefecto supremo,

Borussiae Regi a regiminis consiliis intimis agere coepi. Cujus ab insigni humanitate et benevolentia facile impetravi, ut annuentibus summis rerum ecclesiasticarum et scholasticarum in Borussiae regno praefectis Abulfathiani libri duo illa exempla manu scripta ex bibliotheca Regia ad Marburgensem mitterentur eorumque usus hoc modo mihi per aliquot menses concederetur. Ex his igitur codicibus inter se collatis totum librum descripsi.

Quo in negotio dum occupatus sum, sententiam de Abulfathi chronicis, quae superiore tempore inter viros doctos vulgata erat, neque satis aequam et magna ex parte falsam esse intellexi. Nam et universa scriptoris ratio historica adhuc prorsus neglecta est et singula multa in eo libro narrantur, quae licet fabularum quasi quodam cortice et putamine obtecta et obscurata sint, attamen, si recte considerentur, non solum ad illustrandam theologiam Samaritanam faciunt, sed etiam ad ipsas res apud Samaritas gestas accuratius cognoscendas magnos usus afferre posse videntur. Quae de Samaritarum sectis Dositheis, Sebuaeis, aliis in hoc libro proposita sunt, dignissima videbantur, quae in controversiam vocarentur. Memoria de rebus imperatorum Byzantinorum tempore gestis, quae extremo libro addita est, Graecorum scriptorum de iisdem rebus narrationibus aliquid lucis affundi potest. Ac locorum nominibus aliisque rebus, quae per hos annales commemorantur, geographia sacra quodammodo

augeri posse videbatur. Ipsaeque Samaritarum fabulae permagni momenti sunt ad universam populi indolem ejusque de sua auctoritate sententiam accuratius investigandam. Haec omnia igitur explicare statueram singulis commentariis, quos in societatis Germanicae Orientalis ephemeridibus aliove loco proponerem. Neque enim de ipso libro in lucem edendo cogitare poteram, quoniam Berolinenses illi libri manu scripti tam gravibus scripturae vitiis laborant, ut ope eorum solummodo universa annalium sententia erui, nec tamen, quid singulis locis sibi voluerit scriptor, pro certo cognosci queat. Sed quum in conventu philologorum Misniae celebrato virum illustrem deque Samaritarum litteris meritissimum Henricum PETERMANN convenissem, cujus consilio adjutus Abulfathi librum tractare coeperam, is qua est in me benevolentia me magnopere hortatus est, ne operam in eo scriptore collocatam abjicerem, mihique ut opus jam inceptum edendo libro absolverem persuasit. Cui consilio eo libentius obsecutus sum, quod ita et universus liber virorum doctorum judicio permitti et mea de eo sententia aut comprobari aut refutari posse videbatur. Quae autem minus intellecta essent a me, ea hac via et ratione optime emendari et corrigi posse sperabam.

Itaque id agens, ut librum quantum fieri posset vitiis immunem emendatumque ederem, exemplorum ejus quae extant in Europa manu scriptorum auxilio

efficiendum esse videbam. Quare ut eorum mihi copia fieret, enixe operam dedi. Nactus autem sum codices duos, unum Parisinum, alterum Bodlejanum, de quibus libris jam haec mihi exponenda sunt. Codex Parisinus per munificam liberalitatem supremi collegii, cui Franco-Gallorum Imperator rerum exterarum curam demandavit, Cassellas missus per tres menses mihi concessus fuit. Denique, quum anno proximo superiore in Britanniam proficiscendi data esset occasio, Oxonii per breve tempus et codicem Bodlejanum cum meo exemplo contuli, et alia nonnulla, quae ad itineris propositum spectabant, perfeci. Nam bibliothecae praefecti singulari quadam beneficentia mihi concesserant, ut per totum diem in aedibus Bodlejanis rei susceptae operam dare possem etiam eo tempore, quo propter instantes dies festos paschae aditus ad bibliothecam patere non solet. Londinii autem codicem, qui apud societatem pro propaganda fide Christiana inter Judaeos olim extiterat, abhinc quadraginta fere annos amissum esse audivi. Quae tamen res non obstitit, quin Abulfathi annales ad fidem eorum, quos jam contuli, librorum edere possem. Hanc igitur editionem in lucem emittens viris optime de me meritis, quorum sive consilio sive auxilio adjutus opus ad finem perducere potui, gratias ago maximas.

In prolegomenis ea maxime tractavi, quae necessaria videbantur ad universam operis indolem

recte intelligendam et criticam rationem, quam in judicando et emendando hoc scriptore secutus sum, patefaciendam. Religionis Samaritanae ea tantum capita exposui, quibus historica hujus libri ratio inniti videtur. Quodsi in enucleanda hac re mihi forsitan obtigerit, ut nonnulla accuratius explicarem, quae adhuc aut prorsus neglecta essent aut minus accurate cognita, id non mihi tribuendum esse censeo sed temporum opportunitati, qua factum est, ut totum Abulfathi librum aliosque religionis Samaritanae fontes ad has res indagandas adhibere possem. At singulas res, licet graviores essent, explicare praetermisi. Haec tamen omnia in altero proponam volumine, quo Abulfathi librum in linguam Latinam versum commentario perpetuo illustrare spero. Quem laborem eam potissimum ob causam in animo est suscipere, ut theologis harum rerum studiosis Abulfathi libro facilius utendi potestas fieri possit. — In corrigendis typographi schedulis magnum laborem consumsi. Sed quum ope aliena destitutus unus ipse omnia facere deberem, accidit, ut leviora aliquot menda supersint, eaque plura quam speraveram. Quaecunque reperire potui in erratorum indice promulgavi.

Marburgi Cattorum, die XXV. Maji MDCCCLXV.

ERRATA.

Pag.	4, adn. 3	القينحسية	legatur	الفينحسية
„	8, adn. 9	من	„	من 10.
„	28, 13	والاجله	„	والاجلة
„	33, 4	والاحول	„	والاحوال
„	36, 12	ونقسه	„	ونفسه
„	42, 2	بن	„	ابن
„	50, 12	مائه	„	مائة
„	50, 14	احذ	„	اخذ
„	55, 15	الامول	„	الاموال
„	68, 15	عرصة	„	عرضة
„	84, 12	الشريف	„	الشريف
„	118, 5	سنه	„	سنة
„	167, 12	احذها	„	اخذها
„	168, 4	وعصب	„	وغصب
„	170, 9	تعالٰ	„	تعالى
„	178, 1	ثلثبن	„	ثلثين
„	184, 4	وكانو	„	وكانوا
„	184, 15	الذور	„	الدور
„	IV vs. 2 infra : 1848. 8		„	1848. 4.
„	VII vs. 17 supra : a H.		„	a. H.

PROLEGOMENA

AD

ABULFATHI ANNALES SAMARITANOS.

I. DE UNIVERSO HUIUS DISPUTATIONIS CONSILIO.

Annalium Samaritanorum Abulfathi duo codices ante hos fere ducentos annos in Europaeas bibliothecas illati sunt. Quae tamen res non effecit, ut ab eo inde tempore viri docti in hoc libro lectitando et interpretando diligentius occuparentur. Plerique enim eorum sive aspernati narrationes de rebus gestis, quae aliorum probatorum scriptorum auctoritate refelli ac refutari viderentur, sive deterriti sermonis negligentia, quae ab eleganti usitatoque apud Arabes scribendi genere longe abhorret, nimium quantum librum negligebant et contemnebant. Quicunque vero eum examinare coeperant, rem modo aggressi non ita multo post plerumque desistebant, priusquam quid scriptor sibi vellet intellexissent. Ita evenit, ut Abulfathiana chronica temporum vicissitudine jactata modo a viris doctis in controversiam adducerentur, modo summa obruerentur oblivione. In universum autem quo pluris minorisve litterae Samaritanae aestimabantur, eo major minorve auctoritas Abulfathi

libro attribui solebat. Neque particulae ejus, quae solae adhuc in lucem editae sunt, eae sunt, e quibus aequum de toto opere judicium ferri queat. Atque tantum aberat, ut ex his laceris partibus judicari posset, quid de toto libro sentiendum esset, ut viri docti eas edentes inanes eorum opiniones, qui veteres membranas introspicere non possent, judicio suo firmarent. Sed hi vereor, ne acerbius quam verius judicaverint.

Primus omnium, quod scimus, Abrahamus Ecchellensis*) aliquot Abulfathi locos e Parisino, ut videtur, codice repetitos scriptis suis intexuit. Qui utrum ad id chronicum an ad aliud referri deberent, diu incertum manebat. Deinde haud ita multo post translatum in Europam codicem nunc Bodlejanum Eduardus Bernardus**) theologiae professor Oxoniensis, quum operis conspectum chronologicum una cum pontificum serie exhiberet, conquestus est de Samaritis, *qui cum Judaeorum Rabbinis videantur contendere, quinam in annalibus turpius delinquerent.* Ab eo inde tempore per longam annorum seriem nemo scriptorem nostrum curabat, donec Schnurrerus***) memoriam ejus tandem apud eruditos revocaret. Atque etiamsi Schnurrerus in caeteris de Samaritarum litteris egregie meritus satis caute ad rem accessit, neque iniquum de Abulfatho judicium proferre voluit, attamen particulas

---

*) Ebedjesu catalogus cum adnotationibus Abrahami Ecchellensis Romae 1653, p. 161 et 164. Duo ibi Abulfathi loci proferuntur, qui nostrae editionis pag. 155, 10. 11 et 156, 8. 9 extant. Alium hujus chronici locum de „resurrectione“ pag. 97, 9-17 Latine versum Abrahamus Ecchellensis protulit in supplementis ad Chronicon orientale Venet. 1709, pag. 104; cf. Hottinger diss. theol. phil. Heidelb. 1660, pag. 10 sq.

**) Acta eruditorum Lips. 1691, pag. 173.

***) Memorabilien (ed. Paulus) II. pag. 54—101; cf. Abulf. ann. pag. 60, 17—76, 18. Neues Repertorium I. pag. 120—151; cf. Abulf. ann. pag. 93, 14—108, 9.

ejus e codice Bodlejano descriptas tam vitiose et edidit et vertit, ut ipse scriptoris sui auctoritatem imminuisse recte existimetur. Accedebat, ut chronici partes ad edendum eligeret, in quibus res narrantur, quae aliunde satis notae apud Samaritanum annalium scriptorem ineptis fabulis obscuratae legerentur. Verum enim vero meliorem de isto sentiendi rationem primum indicasse ac viam aperuisse, qua postea in tractandis Samaritarum litteris Gesenius aliique eum secuti incederent, in magnis Schnurreri meritis ponendum est. Denique quum ineunte hoc saeculo aliquod epistolarum commercium inter Samaritas Nabulusi et doctos quosdam Franco-Gallos intercedere coepisset, Antonius Isaacus Silvester de Sacy cum epistolas edidit, quas et illo et superiore tempore Samaritae ad Europaeos dederunt, tum maxime duas chronici particulas alteram Arabicam, alteram Franco-Gallice versam publici juris fecit *). Quae quum omnino diligentius et accuratius quam selecta a Schnurrero essent exscriptae, quumque Dositheos spectarent, de quorum ad gentem Samaritanam ratione certiora nondum innotuerant, magis ad librum commendandum idoneae erant. Nihilo secius Sacyi excerpta neminem moverunt, ut chronica diligentius pervolutaret. Quin etiam illius de iis judicium **) viros doctos magis ab iis examinandis absterruisse videtur. Itaque priusquam nuperrime Petermannus de codicibus Berolinensibus scite exponeret ***), ab omnibus neglectum in bibliothecarum

*) Chrestomathie arabe ed. II. tom. I. p. 333. sqq. — Notices et extraits des manuscrits de la bibliothèque du Roi et autres bibliothèques, tom. XII. Paris 1831. 4.

**) Mémoire sur l'état actuel des Samaritains, Paris 1812, p. 14; sive : Stäudlin et Tzschirner, Archiv I. 3, pag. 46.

***) Herzog, Realencyclopädie der protest. Theologie, s. v. Samaria.

latibulis jacebat. Quicunque autem mentionem ejus faciebant, irrita plerumque auctorum sententia turbati, quid de eo sentiendum esset, intelligere non poterant. Pauci tantum sive rei peritiores sive bene augurati, quantum utilitatis ex his chronicis qui recte uteretur percipere posset, melius de eo judicabant. *). Atque horum de eo sententiam meum edendorum horum annalium consilium firmasse, libenter profiteor.

Pugnanti autem mihi contra praejudicatas multorum opiniones cavendum est, ne ipse scriptori meo nimium tribuam. **). Quam ob causam id maxime agendum esse duxi, ut quae Abulfathi libro diligenter considerato pro certis effici possent, ea simpliciter virorum doctorum judicio permitterem. Sententiam igitur hac via ac ratione mihi comprobatam fusius explicare, hujus institutae scriptionis est. Facere tamen non possum, quin summam veritatis, de qua mihimet persuasum est, jam verbo significem. Quemadmodum enim quibusvis litterarum monumentis

---

*) Adler, biblisch-kritische Reise nach Rom, Altona 1783, p. 208: „Die samaritanische Chronik (zu Paris), die sich von der zu Leiden durch den Inhalt sowohl als durch die Vollständigkeit unterscheidet und bei vielen Unwahrheiten auch viel Wahres zu enthalten scheint, habe ich beinahe ganz abgeschrieben. Sie kann nicht nur der Geschichte der Samariter, sondern auch hin und wieder ihrem Pentateuch Licht geben.“ — Ewald, Geschichte des Volkes Israël III. 2, pag. 247, not. 3: „doch verdiente weit mehr als der jetzt veröffentlichte liber Josuae die Chronik Abulfatchs herausgegeben und übersetzt zu werden; freilich müfste dies viel besser als einst bei einigen Bruchstücken daraus von Schnurrer geschehen.

**) In istum errorem superioris aetatis theologi quum de Josuae libro disputarent, omnes fere inciderunt. Quorum judicia aliqua ex parte emendavit et castigavit vir doctissimus ac de Samaritarum litteris meritissimus Juynboll, piae memoriae: Chronicon Samaritanum cui titulus est liber Josuae edidit etc. Th. G. J. Juynboll Lugd. Batav. 1848. 8. — Jam libri Josuae codex in Museo Brittanico extat, quem virorum doctorum curae commendatum velimus.

probabilis interpretatio solum a populi, ad quem spectant, ingenio peti potest, ita Abulfathi chronica non recte possunt aestimari, nisi ratio eorum ad religiosam Pentateuchi indolem revocetur. Hi enim annales historica sunt gentis Samaritanae apologia ad historicam Pentateuchi rationem et Genesis maxime exemplar instituta. E quo scriptoris consilio haud difficile est ad dijudicandum, quibusnam in rebus fidem mereatur et quae narrationes ad ejus de rebus divinis opiniones fictae iisque accomodatae sint. — Ad linguam autem quod attinet, soloecismis nempe depravatam, non omni ex parte acta agere mihi videor, si de Hebraeo-Samaritanae linguae in sermonem Arabicum vi et effectu denuo anquiram. Samaritae enim tum libros lingua sua compositos Arabicis litteris exarare, tum Arabicos libros Samaritanis litteris describere solebant; e qua populi consuetudine nonnulla, quae ad id tempus dubia erant, recte explicari posse censeo. Atque in ista linguae ratione enucleanda magnopere adjutus sum procedente nostra in dies rerum Samaritanarum cognitione, ad quam augendam aequalium nonnulli plurimum contulerunt.

Commentarii hujus materiam ita disposuimus, ut primo chronici codices describamus, deinde argumentum ejus et historicam indolem examinemus ac denique de librorum et veterum et vulgatorum conditione et nostra ad eorum fidem exigendi hujus scriptoris ratione disputemus.

II. DE ABULFATHI CODICIBUS MANUSCRIPTIS.

Quatuor potissimum sunt codices, quorum usus nobis concessus fuit : Berolinenses duo, Parisinus, Bodlejanus. Hos pro temporis ordine, quo iis utendi data erat occasio litteris A. B. C. D. significavimus. Quintus accedit codex

Berolinensis, quo lacerae quaedam chronici reliquiae continentur, littera F. a nobis denotatus. Littera E. codicem Londinensem designare statueram, tunc temporis nondum ejus adipiscendi spe destitutus. — Omnes bombycini sunt formaeque quaternariae; ac pro consueto in Europa libros compingendi more involucra acceperunt.

1. Codex Berolinensis A. omnium qui extant recentissimus 'Imrâni ben Salâmae, qui nunc gentis Samaritanae pontificatum obtinet, manu descriptus est. Constat centum quadraginta septem plagulis formae quadruplicatae amplioris. Is codex anno 1860 a viro clarissimo G. Rosen Borussicarum rerum in Palaestina procuratore ad bibliothecam regiam Berolinensem missus, ibi codicum orientalium numero continuo 6765 signatus est atque intrinsecus in antica involucri parte inscriptum habet: *Ms. quart 471.* Abulfathi chronica, in hoc codice ad Harûni ar-Rashîdi tempora continuata, centum viginti novem plagulis prioribus continentur. Haec codicis pars potior in pagina 129[b] post enumeratos ad Muhammedis tempora pontifices, ac dein serie eorum ad praesens tempus deducta, librarii verbis absolvitur, quae servata ad amussim scriptoris orthographia hoc loco exhibemus *):

وكان الى عمرم اخيين الاول يقال له هارون والاخر اسحاق
فعاش هارون من العمر ثلاثه وعشرين سنه ومات وخلف ولد ذكر
ودعا اسما يعقوب والاخ الاخر عاش عشرين سنه ومات وخلف
ولد يقال له حصر وبعد انشا اولادهم كان عمرم بلغ من العمر اثنين
وخمسين سنه فاراد انه يوضع ابن اخيه 𐤉𐤑𐤅𐤏 · موضعه فى
الامامه فى وجوده ووضعه مترحه من سنه اربعه وسبعين ومايتين
والف عربيه والله اعلم

*) Etiam in reliquis librariorum additamentis posthac proponendis scriptorum orthographiam diligenter servabimus.

In eo librarii epilogo antecedentem modo pontificum seriem respicienti nonnulla memoratu haud indigna de praesenti domus pontificiae conditione traduntur. Nam ultimi in illo indice commemorantur Tobias deinde Salâma et denique hujus filius et codicis scriptor ʿImrânus, qui jam constituit, ut Jaʿqûbus, fratris filius, in pontificatu vivo sibi subrogetur. Ipsum autem codicem a. H. 1274 (inc. $\frac{2}{8}$ 1857) ad finem perductum esse, ex eodem epilogo colligitur.

Sed additamenta sequuntur. Quorum primo a plagula 129ᵇ ad plagulam 140ᵃ terrae motus describitur, qui a. H. 1173 (inc. $\frac{1}{8}$ 1759) Tobia pontifice Samaritarum animos mirum in modum vexabat. Id additamentum biennio post priorem codicis partem perscriptum esse, ex ultimis ejus verbis تم دلك على يد كاتبه فى ١٩ جمد اخر سنه ١٣٧١ colligitur. — In altero deinceps additamento plag. 140ᵃ — 143ᵃ de pestilentia agitur, quae a H. 1201 (inc. $\frac{2}{10}$ 1786) quintam conventus Samaritici partem absumsit, ut e centum viris non amplius viginti quinque superessent. Scribendi diem, quem verbis تم دلك التاريخ بحمد الله وعونه فى ليلة الاحد additurus erat scriba, inter scribendum oblitus videtur esse. — In ultimo denique additamento plag. 143ᵃ — 146ᵃ de Aegyptiaca, ʾIbrahîmo duce, in Palaestinam expeditione obiter explicatur. Ac leviter caedes illa tangitur, qua nuper in Syria et vicinis regionibus a Muhammedis sectatoribus in Christianos saevitum est. Denique indice eorum, qui annis H. 1247—76 Nabulusi praetorio praeerant (حكام), id postremum codicis additamentum absolvitur. Hujus exordium, quum ad illustrandam domus pontificiae in aetate superiore conditionem faciat, hoc loco transscribendum esse censuimus :

وفى سنه الالف ومايتين وواحد عربيه توفا الامام طوبيه ولم يوجد من بيت الامامه من هذا السبط سوى اولاده صغار السن

اثنين الواحد اسمه عمران والاخر اسمه شلمه ولم يكون واحد منهم يليق ان يكون امام لصغر سنه وقصوره على درجة العرفان فاستقامة جماعة اسراييل من غير امام من هذا السبط الى سنه الالف ومايتين وثلاثه عشر فكان شلمه ابن الامام غزال قد رشد وتعلم شروط امامته وفاق على من علمه فاتفق راى الجمهور جميعا باقامته على درجة امامته عوضا عن ابيه فاقاموه وكان عندهم يوما عظيم من شدة الفرح بوجود قدامهم امام من هذا السبط المقدس واستقام فى الامامه الى سنه الالف ومايتين وثلاثه واربعين وكانت مدة امامته ثلاثين سنه كما تقدم واقام ولده الامام عمران فى ايام حياته برضه نفسه فى الامامه من السنه المذكوره وبعونه تعالى من اول ما تولا المذكور قد فتح الله تعالى باب الفرج الى عبيده الاسراييليين وارتفع عنهم الزل والاهانه لانهم كانوا فيها قبل واسباب ذلك كان موجود من الضايقه رجل حسن صاحب تدبير وعقل ذكى يقال له العبد الشبى (?) السامره منسوب الى سبط السيد يوسف عليه السلام خدم قدام حكام بلادنا خدامه صادقه بمعرفه تامه حتى انهم اعتبروه واعتبرو طايفته لاجله وبهذا ارتفع عنهم ايدى الظلام

Haec igitur codicis exempla indolem ejus et grammaticam et orthographicam satis aperte demonstrant. In toto codice, Arabicis litteris exarato, vix una littera Samaritana deprehenditur. Quocirca Pentateuchi verba Samaritana, quae scriptoris orationi inseruntur, semper Arabicis litteris, iisque rubro colore praeditis, transscribi solent. Nomina autem personarum locorumve Arabicis litteris exhibita aut rubro colore a reliqua orationis parte distinguuntur, aut atramento conscripta secundum tritam Samaritarum consuetudinem Maddam superimpositam acceperunt. — Sed aequabile scripturae genus, quo librarius*)

*) Ab eodem librario descriptus est commentarius in Pentateuchum, qui 'Ibrahîmo cuidam e domo Ja'qûbi i. e. Samaritae tributus Berolini in bibliotheca regia asservatur cf. Geiger in : Zeitschr. der deutschmorgenl. Gesellschaft XII. pag. 141. — Ejusdem commentarii exemplum si recte memini in Museo Brittanico reperitur.

leviter adspicienti summopere commendari posse videatur, nequaquam comprobari potest, quum de verborum vi et sententia agitur. Singularum litterarum ductus magnum persaepe dubitandi locum relinquunt, ut taceam locos intellectu difficiliores a librario plerumque non attingi ac verba effici, quae nullum omnino sensum praebent. Num littera ص legi debeat, an ع an غ, utrum vocabulum littera ه an ح incipiat, saepius e totius loci solummodo sententia judicari poterat. Litterae د et ر saepissime ut commutari possint consimiles sunt, indeque etiam ذ et ز saepius confunduntur. Nusquam ferè discrimen inter ت et ث, د et ذ recte observatum est. Quibus accedit, quod orthographica nominum ac verborum differentia librarium haud raro effugit, ut promiscue تجددت pro تجددت ac vice versa ليلت pro ليلة scriberet. Quae omnia non tam ad Samaritarum Arabice scribentium rationem, quam ad librarii inscitiam et negligentiam tanquam ad fontem communem referenda esse censeo. Nihilo secius is codex utpote de meliore forsitan exemplo *) descriptus in emendando Abulfathi libro maximo nobis adjumento erat.

2. Codex Berolinensis B., qui priorem antiquitate non multum superat, orientalium bibliothecae regiae codicum numerum 3890 habet; quumque Nabulusi emtus sit a Petermanno etiam inscribitur : *Ms. Peterm. 8.* Rerum in eo narratarum ordo ultra Muhammedis tempora non progreditur; sed repetita ab initio mundi ad illius tempora patriarcharum et pontificum serie codex absolvitur. Extremo libro duae plagulae adjectae sunt, quae aliquam commentarii Pentateuchici particulam exhibere videntur. Singuli decem plagularum fasciculi (كراس) accurate dinumerantur, id quod in codice A. desideravimus. Fasciculo

*) Cf. Robinson, neuere Forschungen, pag. 169 sq.

secundo, qui primum continuo excipit, quatuor plagulae desunt; quumque postremus fasciculus quintus decimus non amplius quinque plagulas habeat, codice omnino ducentae octoginta duae paginae continentur. In medio igitur libro lacunam satis magnam esse videmus. Fasciculus primus ab alia manu scriptus est atque minutioribus litterarum ductibus a reliqua codicis parte valde differt. Haec enim, crassis grandioribusque litteris scripta, clarior est lectuque facilior. Quare in prioris fasciculi singulis paginis viceni bini plerumque versus continentur; in reliquis vero fasciculis quini deni. Codicem autem a. H. 1229 (inc. $\frac{24}{12}$ 1813 p. Chr.) a Salâma quodam in usum filiorum descriptum esse, ex hoc librarii epilogo colligitur :

تمة هذه الكتاب فى ليلة التلتا المبارکه غرة شهر رمضان الموافق
الى ٤ اب الرومى الموافق الى غرة شهر ‏ ‏ ‏

graphica codicis A. ratione supra monuimus, etiam de hoc codice dici possunt. Nusquam fere interpunctionis signa in eo reperiuntur, frequenter vero ornamenta vana, quibus loci scriptura vacui compleantur. Pentateuchi loci nominaque personarum aut Samaritanis litteris exhibentur, iisque minoribus sive cursivis, valde negligenter scriptis, aut Arabicis litteris Madda instructis, nunquam tamen rubicundis. Et vulgaris per notas scribendi consuetudo, qua una vel pluribus litteris in exitu vocis Samaritanae omissis priorem ejus partem binis punctis ad perpendiculum directis determinant, saepius in hoc codice reperitur. Quae sub finem chronici de Muhammedis ad gentem Samaritanam ratione Arabico sermone enarrantur, in hoc codice Samaritanis litteris scripta sunt.

3. Codex Parisinus C. e Samaritanis regiae olim bibliothecae libris numero V. erat sive Arabicorum 839. Nunc inter Samaritanos bibliothecae imperialis codices numeri VII. notam accepit, extrinsecus in postica involucri parte inscriptam. Is quum saepissime in eruditorum manibus fuerit, haud ita ignobilis est atque antiquissimus omnium Abulfathi codicum, qui adhuc in Europaeas bibliothecas illati sunt. Hic illic nonnulla ab Europaea manu adscripta in margine apparent. Etiam singularum paginarum numeri ad unum omnes quemadmodum apud nos fieri solet in margine superiore adscribuntur. Sed qui hos numeros adnotavit, a paginae numero 169 ad 180 transiens codici decem paginas, quae non extant, attribuit. Ex hac autem paginas dinumerandi ratione chronici Samaritani in priore codicis parte paginae 264 continentur. Altera codicis parte pag. 270—462, ab eadem manu descripta, dogmatica legis Mosaicae adumbratio continetur, cujus scriptor est ابو الفرج ابن اسحق ابن كثار Quinque paginae inter utrumque librum mediae deterrimo isto litterarum

Arabicarum genere refertae sunt, quod in primis codicum orientalium et in ultimis eorum paginis saepius reperiri solet. Haec omnia, quum nihil ad propositum nostrum faciant, omittimus. Nec tamen codici usitata in Oriente fasciculos dinumerandi ratio deest. Initio ejus magna lacuna est. Nam codex tertio demum fasciculo incipit, unde nescio quis in pagina, quae chronici paginae primae ex adverso posita est, recte adnotavit : *il y manque 20 feuillets.* Plagulae codicis etsi crebriore usu paullulum inquinatae sunt, satis tamen albicant, nisi quod in priore ejus parte quinta quaeque plagula fusco colore a caeteris discrepat itaque dimidium fasciculum dirimere videtur. Hoc modo a caeteris distinguitur plagula, cui paginarum numeri 5. 6 adscripti sunt ac deinde, quae eam secutae paginarum numeris 15. 16; 25. 26; 35. 36; 45. 46; 55. 56 signatae sunt. Post hunc locum plagulae fusci coloris insertae sunt nullae. Neque dimidii fasciculi hoc modo dispositi accurate consentiunt cum iis fasciculorum numeris, qui margini superiori additi sunt; unde librarium abjecto consilio ab altera codicem digerendi ratione ad alteram magis vulgarem transiisse concludimus.

Annales autem Samaritani in hoc codice in duas partes dividuntur, quarum prior pag. 1—202 intercedente librarii epilogo ab altera parte distincta eadem fere habet, quae in codice B. exhiberi supra indicavimus. Rerum enim Samaritanarum narratio ad Muhammedis tempora deducta pontificum serie finitur. Epilogi pag. 202 additi versus ad rhombi figuram dispositi haec verba exhibent :

بشم يهوه نجز هذا لكتاب المبارك وهو كتاب التاريخ على
يد الملوك الاصغر الاذل الاحقر المعترف بالذنب والتقصير فى يوم
القصاص الملوك مسلمه ابن يوسف ابن ابرهيم ابن هبه ابن
قباص السامرى اليوسفى الاسراييلى غفر الله تعالى له ثم لوالده

ثم لمن قرا فيه ودعا لكاتبه بالمغفره والمعونه ولجميع قهّل يشّرال اجمعين وذلك بتاريخ نهار الثلثا المبارك من عشر شهر جمادى الاول عندنا سنه ثلاثين وتسع مايه الله تعالى يحسن العاقبه الى خير امين يا رب العالمين ومن فضل القارى لا يعتب على المملوك فى الخطا لانه اول نسخه والله اعلم والكلام صفه المتكلم شّلوم يهوه عّل مشّه

Hujus epilogi versus in codice quintus, quo librarii nomen continetur, rhombi quasi diametrus, viridi colore pictus est; reliqua atramento consignata sunt. Continuo illum epilogum altera excipit chronici pars, quae in pagina 264 simillima librarii clausula absolvitur :

بشّم يهوه تمة هذا الكتاب المبارك بعون الله تعالى ولطفه وحسن توفيقه فى نهار الخميس المبارك عشرين شهر رمضان المعظم قدره سنه ثلاثين وتسع مايه على اسم كاتبه لنفسه المملوك الاصغر الانذل الاحقر المعترف بالذنب والتقصير فى يوم القصاص المملوك مسلم بن يوسف (بن) ابرهيم بن هبه بن قياص السامرى اليوسفى النسب الموسوى المذهب غفر الله تعالى (له) ثم لوالده ثم لمن طالع فيه ودعى لكاتبه بالمغفره والمعونه ولجميع قهّل يشّرال اجمعين وشّلوم يهوه عّل مشّه ومن فضل القارى لا يعتب على المملوك فى الخط لانه متعلم والكلام صفه المتكلم والحمد لله رب العالمين ولا يضيع اجر المحسنين وان كان فيه زلل من كاتبه لا من واضعه

Etiam hujus epilogi figura ad rhombi formam disposita est, sed nitidam superioris elegantiam non adaequat. In septimo versu rhombi diametro librarii nomen viridi colore scriptum extat. Ille igitur a H. 930 (inc. $\frac{1}{11}$ 1523 p. Chr.) utramque chronici partem perscripsit. Ex his autem epilogis cum argumento chronici comparatis petita sunt, quae in plagula codici praeposita ab eadem manu, quae verba Franco-Gallica supra prolata scripsit, adnotata ac deinde paullulum immutata in bibliothecae Parisinae cata-

logo *) typis exscripta sunt : *Chronicon samaritanum ab orbe condito ad annum hegirae 322, quo Radhi Chalifatum Bagdadensem occupabat sub finem dynastiae Tolonidarum. — Sed hic codex imperfectus est et a Barak et Gedeone Israëlitici populi judicibus exordium sumit. Auctor Meslem Ben Joseph Ben Ibrahim etc. Samaritanus e Stirpe Joseph. Scriptum est hoc exemplar anno hegirae 930.* Ac Raḍhî Chalifam ultimum esse, cujus in altera chronici parte mentio fiat, recte quidem monetur; quae autem illius ad Tulunidas sit ratio, equidem intelligere non possum. Haec enim gens non paucos annos ante illius Chalifae initia defecerat. Itaque quum ista de chronico ejusque codice adnotata gravibus mendis laborent, vir doctissimus Reinaud, ut ex parte ea corrigeret, in alia quadam plagula codici praeposita haec verba inscripsit : *Meslem n'est pas le nom de l'auteur, c'est le nom du copiste. Cette chronique n'est pas la même, que cette qui a été publiée par M. le docteur Juynboll Leide 1848; est ce la même que celle qui se trouve dans la bibliothèque bodleyenne à Oxford et qui a pour auteur Abulfath? voyez le catalogue etc.*

Librarii is erat animus, ut hoc codice, manus suae quasi primitiis, artis calligraphicae egregium specimen ederet; id quod ex utroque epilogo et ex ipsa litterarum indole colligitur. Nam hae in priore potissimum chronici parte summa elegantia exaratae nihilominus tironem fuisse, qui eas conscriberet, persaepe produnt. Litterae enim Arabicae non proclives ut solent apud exercitatos in scribendo librarios ad latus inclinant, sed plerumque in altum erectae stant. Ac nitide scribendi studium in prima chronici parte saepius imminuitur, in altera omnino cessat. Verba

*) Catalogue de la bibliothèque du Roi, Paris 1739 fol. I. pag. 50, cf. Herbelot bibliothèque orientale s. v. Tharik Sameri.

ipsa in priore chronici parte sine ullis interpunctionis signis continuantur, neque novis versuum initiis interrumpuntur. Sed in altera parte chronici capita praecipua, eaque magnis lacunis deformata, voce فصل inscribuntur. Namque verum Abulfathi librum ultra Muhammedis tempora non continuari, multis argumentis infra uberius explicandis manifestum est. Unde librarius in secunda chronici parte, ut quae levioris sit momenti, parum diligentiae adhibuit. Partis secundae caput primum accurate iis respondet, quibus in codice A. rerum post Muhammedem gestarum narratio continuatur. Quae reliquis hujus partis capitibus continentur, ea in nullo alio codice inveniuntur. Litterae Samaritanae hujus codicis eosdem fere ductus exhibent, qui in bibliothecae Lugdunensis codice Samaritano-Arabico XXVII. *) aliisque Samaritarum libris saeculo

---

*) Primus de hoc codice explicavit Weijers apud de Jong catal. codicum orientalium bibliothecae Lugdunensis pag. 48 sqq. cf. Juynboll Commentarii ad historiam gentis Samaritanae pag. 58 not. 2. Nuper Noeldeke accuratiora hujus codicis exposuit, quum de grammaticis ejus commentariolis ageret, cf. Nachrichten von der G. A. Universität etc. 1862 n. 17 et 20. Quae traduntur apud eum de Samaritanis hujus codicis litteris, omnino Abulfathi codici Parisino conveniunt. Illae enim medium fere locum tenent inter antiquum scripturae genus, quod in Pentateuchi codicibus extat, et recentiorem sive cursivam scriptionem, in libris liturgicis plerumque usitatam. Nec tamen adhuc litterarum Samaritanarum exempla extant typis exscripta, quibuscum hae litterae satis bene comparari queant. Ductus eorum magis angulati sunt et ad regulam exaequati, quam litterarum exempla, quae proposuerunt Gesenius in tabula carminibus Samaritanis adjecta column. 2—4 et Juynboll in tabula consimili cum Josuae libro edita column. B. D. Equidem has litteras quadratas in suo genere nominaverim. — Abhinc fere biennium impetravi, ut consilium summum, cui Batavorum rex curam civitatis administrandae commisit, qua est liberalitate, eum quem dixi codicem Lugdunensem per aliquot hebdomades mihi permitteret. Qua beneficentia adjutus id assecutus sum, ut commentarios theologicos, qui extant in eo describerem omnes, grammaticos autem, qui nondum editi sunt, excerperem.

post Christum quarto decimo posterioribus conspiciuntur. His igitur litteris personarum nomina pleraque omnia conscripta sunt. Pentateuchi autem loci, qui in chronico proferuntur, his litteris inchoantes Arabicis litteris Madda instructis continuantur. Ac voces كقولة sive قال aliaeve, quae illos locos inducunt, rubro maxime colore sub oculos cadunt, dum ipsa sacrae scripturae verba atramento consignata sunt. A media inde chronici parte viridis color temporis vetustate aliquantum pallidus praeponderat non solum in personarum nominibus sed etiam in vocibus, quae Pentateuchi locos inducunt, conscribendis. Inde in eadem saepissime voce litterae discolores aut rubro aut viridi colore pictae extant.

Atque librarius etsi majorem curam in litteris nitide pingendis consumsit, quam in libro emendate describendo, attamen utroque Berolinensi multo est diligentior. Quare sermo in hoc codice ad linguae Samaritano-Arabicae veram indolem propius accedere neque a sola librarii libidine pendere videtur. Nam librarius in epilogo errores, quorum veniam petit, minus scriptoris ingenio quam suae ipse negligentiae et imperitiae tribuendos esse declarat. Itaque turpis litterarum ث et ت, ذ et ظ confusio rarius in eo codice reperitur. Ac ne litterae ء, ه, ه inter se commutari possint exiguis earum signis ص ح ع infra versus positis cavetur, id quod in codicibus Berolinensibus perraro accidere solet. Consonae Arabicae ingenti vocalium aliorumque signorum mole oneratae sunt. In quorum usu certas regulas olim secutos esse Samaritas sine ulla dubitatione affirmaverim. Sed librarius, dum iis utitur, sibi non constat ac saepissime labitur. Quocirca fieri non potuit, ut veras omnium signorum causas ubique deprehenderemus. Tashdîdi signo discrimen inter litteras ح ص et easdem litteras punctis instructas خ ض constitui videtur :

نوأحّى مصّرِ. Idem rarius in consonis geminandis : يسمّى ولمّا adhibetur, saepissime litteris sine ulla lege perspicua imponitur : هولاّى لاّ اسرّائيل. Gazmam videmus positam esse, qua litterae س ر ن a litteris ش ز ذ distinguantur : يسْمى وزّاى عنذ; quae ratio, quatenus ad litteram س pertinet, etiam in Berolinensibus codicibus obtinet. Denique, ut alia omittam codicis signa, Hamza nonnunquam falso additur, ut بيتهآء عنهآء inveniatur pro بيتها عنها. Vocalium signa magnopere perturbari, exempla proposita satis demonstrant. Quibus omnibus efficitur, librarium lectionis signa a se adhibita non satis ubique intellexisse eaque adhibuisse eo consilio, ut quae ab ipso scriberentur decori ac perpoliti speciem haberent. Immensa certe signorum copia imminui solet, ubi lepide scribendi studium remittit. Sed propter hanc eorum multitudinem singuli versus nimio intervallo inter se distant. Nam licet codex quaternariae sit formae inter utramque partem mediae, in omnibus tamen ejus paginis tredecim fere versus rarissime plures conspiciuntur.

Is codex olim fuit Nicolai Peiresc, senatoris Aquisextensis († 1637), viri patrocinio litterarum orientalium clarissimi *), qui eum una cum aliis Orientis libris auctore Scaligero a Samaritis Aegyptiacis emisse videtur. Atque haud scio an postea factus sit Mazarini cardinalis († 1661), priusquam ad bibliothecam regiam Parisiensem perveniret. Alius enim codicis, e quo sumi potuerint, quae Abrahamus Ecchellensis de Abulfathi chronicis prodidit, nulla uspiam vestigia apparent.

*) Catalogus bibliothecae Parisinae l. c. cf. epistola Morini ad Abrahamum Ecchellensem in Antiq. eccl. oriental, Lips. 1683, pag. 591. — De Peirescio ejusque meritis exposuit Gassendus, vita Nicolai Claudii de Peiresc, Quedlinburg 1705, pag. 119 sqq. et pag. 271; cf. Antiq. eccl. orient. pag. 295 sqq. et 389 sqq.

4. Codex Bodlejanus D. satis accurate apud Nicollum *) descriptus est. Quare expositis ab illo pauca tantum hoc loco addere cogitamus. Forma codicis a quaternaria paullulum aberrans non satis oblonga est, ut octonaria nominari possit. Duo libri ab eadem manu descripti hoc codice continentur, quorum prior 'Abû'lḥasani, celebratissimi apud Samaritas scriptoris, de vita futura commentarius (كتاب المعاد) quinquaginta prioribus codicis paginis, alter autem Abulfathi annalis centum nonaginta duabus ejusdem paginis posterioribus continetur. Paginarum numeri ab Europaea manu adscripti non per totum codicem continuantur, sed ab Abulfathi annalium initio redintegrantur. Abulfathi chronica in codice decem fasciculis constare, annotatione in ultima codicis pagina post librarii epilogum adscripta : وذلك عشر كراريس بالتمام والكمال recte monetur, nisi quod decimi fasciculi ultimae quatuor plagulae Abulfathi verbis vacuae sunt ac repletae isto annotationum pessime scriptarum genere, cujus mentionem supra fecimus. Codicem a. H. 1005 (inc. $\frac{8}{9}$ 1595 p. Chr.) confectum esse, ex his librarii verbis cognoscimus, quae chronicon paginae 192 addita leguntur :

كمل هذا التاريخ بعون الله ولطفه وكرمه وحسن توفيقه
فى ظهيرة نهار الثلثا المبارك ختام شهر ذى الحجه الحرام من
شهور سنه خمسه والف لملكه بنى يشمعال احسن الله ختامها
المواقف لتالى يوم من اب من شهور الروم سنه تاريخ وفى ليلة
حدش هحميش على يد كاتبه افقر عباد الله تعالى واحقرهم
وادلهم واقلهم علما وعملا ومعرفه من كل شيا (sic) واكثرهم ذنوبا الحزين
المسكين المعترف بالتقصير الباكى علما سلف منه من الذنوب
والخطايا الراجى من ربه علام الغيوب اله ابرهيم واسحق ويعقوب

*) Alexander Nicoll, Catalogus codicum manuscriptorum bibliothecae Bodlejanae tom. II. pag. 4, n. VII. et pag. 491 sq.

السيد الشريف اشرف ... سيدنا موسى غاية المطلوب غفران للخطايا والذنوب المملوك ابو السرفه ابن يوسف يعقوب ابن بدر ابن رشيد الربحى غفر الله له ولوالديه ولاولاده ولجميع قهل يشرال همساجوديم لهرجريزيم بيت آل وشلوم يهوه عل مشه

Praeterea in extrema hac pagina verba leguntur : ودلك برسم اولاد كاتبه وهم الولد يوسف والولد غزال والولد ابرهيم والولد اسحق, e quibus liquet codicem a librario descriptum esse in usum filiorum, quo sacra gentis Samaritanae historia imbuerentur. Codicis indoles eadem fere est, quae codicum B. C., ita ut etiam narratione usque ad Muhammedis tempora deducta et repetita pontificum serie liber absolvatur. Additamenta, quibus ad codicis C. exemplar rerum narratio post Muhammedem continuetur, in hoc codice omnino desunt. Itaque universa ejus ratio propius ad codicem B. accedit, quocum etiam in hoc convenit, quod totus atramento conscriptus est, neque ulla in eo littera discolor reperitur. Litterae Arabicae neutiquam elegantes nitidaeve minores sunt ac deorsum saepissime proclives. Sed legendi facilitati non obstant; quumque simillimae sint litteris fasciculi primi in codice B., his tamen clariores sunt et magis perspicuae. Pentateuchi loci omnes Samaritanis litteris inchoati plerumque iisdem litteris etiam absolvuntur, rarius litteris Arabicis transscripti continuantur. Sed personarum nomina pleraque Arabicis litteris iisque Madda instructis conscribuntur, minus frequenter Samaritanis litteris exhibentur. Ornamenta ad cordis formam composita aliave, quibus loci scriptura vacantes compleantur, crebriora sunt; compluribus locis usitatum interpunctionis signum ⁘ reperitur; sed nunquam fere capita chronicon graviora novis versibus incipiunt.

Codex Bodlejanus ab eo homine descriptus est, qui satius duceret, ex accurata Abulfathiani libri intelligentia quam ex vano nitide lepideque pingendarum litterarum artificio laudem sibi quaerere. Sed erraverit vehementer, si quis opinetur, hoc codice veram et sinceram Abulfathi manum sine ullo mendo repraesentari; quam opinionem jam refellunt exempla a Schnurrero proposita, licet hunc ipsum saepius errasse fatendum sit. Neque enim librarius codicis, e quo descripsit, atque adeo ipsius scriptoris menda corrigere poterat. Atque ambiguitas, qua se involvit eo consilio, ut errores evitet, majorem plerumque dubitationi locum relinquit, quam peccata aperta. Nam librarius interdum dubius, utrum nomina recte scripta sint necne, Arabicis vocabulorum litteris puncta apponere omittit. Litterae ث et ذ aliquanto saepius quam in Parisino codice cum litteris ت et د permutatae sunt; atque soloecismi, quos Samaritae quum lingua Arabica utuntur committunt, omnes fere in hoc codice inveniuntur. De quibus rebus infra disputabimus. Codex vero Bodlejanus plurimi aestimandus atque Parisino aequiparandus vel potius anteponendus esse videtur, quum lacunis non laboret. Quamquam sua quadam propria laude uterque excellit.

Is codex exeunte saeculo p. Chr. septimo decimo intercedente Roberto Huntington, qui tunc apud Anglos in Palaestina V. D. M. munere fungebatur, a Samaritis Nabuluso Oxonium missus est. Cujus rei documenta extant cum ea, quae ipse Huntington memoriae prodidit *), tum litterae, quas Samaritae a. H. 1099 (inc. $\frac{7}{11}$ 1687) ad Thomam Marshallum dederunt**), theologiae professorem

*) Roberti Huntington episcopi Rapotensis epistolae. Praemittuntur D. Huntington et D. Bernard vitae scriptore Th. Smith Lond. 1704. 8. p. 15.

**) Notices et extraits XII. pag. 180 et 223 cf. Schnurrer in : Repertorium für bibl. und morgenl. Litteratur IX. pag. 45.

Oxoniensem, qui epistola flexiloqua homines Samariticae religioni addictos in Britannia habitare simulaverat. Samaritae enim illos populares suos, quos nimirum Marshallus finxerat, reprehendunt, quod neque pecuniam neque religionis libros Nabulusum misissent praeter Judaicum Josuae librum, quamvis cum alia Samaritana scripta accepissent tum Samaritanum Josuae librum et annalium codicem, quo rerum narratio ab Adamo ad Muhammedem usque contineretur; unde sibi ortam esse queruntur suspicionem, num illi Britanniam incolentes religionem vere Israëliticam profiterentur. Quo annalium libro Abulfathi codicem nunc Bodlejanum significari, luce clarius est. Illum igitur paulo ante fortasse anno p. Chr. 1686 in Britanniam missum esse, evincitur.

5. Denique particula quaedam codicis extat Berolinensis, quae inter bibliothecae regiae codices manuscriptos *Peterm. 5* inscribitur, a nobis autem littera F. denotata est. Haec litteris exarata claris ac bene scriptis ad saeculum p. Chr. sextum decimum, ut ego opinor, referenda est; unde ejusdem fere sit aetatis atque codices C. D., quibuscum multis in rebus consentit. Litterae hujus codicis Samaritanae Arabicaeque, quod memini, simillimae sunt earum, quae in codice Samaritano-Arabico Lugdunensi XXVII. supra commemorato a manu recentiore additae sunt. Quocirca utrumque codicem ab eodem homine descriptum esse conjecerim. Quamquam fateor, me codices, quum non eodem tempore in meis manibus fuerint, accuratius inter se comparare non potuisse. Sin autem suspicio nostra aliquam veritatis speciem habeat, codex circiter annum H. 890 *) conscriptus fuerit. Arrosus ille quidem est a

*) Cf. Nöldeke in: Nachrichten von der G. A. Universität 1862, pag. 337, de Jong Catalogus Lugd. Bat. l. c.

tineis, quae tamen ipsi scripturae pepercerunt. Is codex ad Abulfathianos annales sive emendandos sive melius intelligendos multum nobis contulisse videtur. Quam ob causam magnopere dolemus, eum una tantum et triginta plagulis constare, quarum ordo in compingendo libello aliquantum conturbatus est. Rerum gestarum in eo narratio neque continua est, neque ultra Alexandri Macedoniae regis tempora, qui locus fere medius est horum annalium, progreditur. Ad quos autem locos singulae harum reliquiarum plagulae pertineant, in commentario critico Abulfathianis annalibus subjecto diligenter a nobis indicatum est.

Quinque igitur codices, quos jam descripsimus, ad edenda Abulfathi chronica nobis in promptu fuerunt; praeter quos alius codex, ad quem viris doctis aditus pateat, quantum scio in Europa adhuc extat nullus. Etenim si Mazarini codex, cujus Abrahamus Ecchellensis mentionem fecit, alius esset atque Parisinus, nec de illius origine, quomodo in Europam advenisset, nec de posterioribus ejus fatis certi quidquam constaret. — Codicem Londinensem, qui erat quondam societatis pro fide Christiana inter Judaeos propaganda, anno Chr. 1824 viro doctissimo Lee litt. Hebr. professori Cantabrigiensi commodatum neque post obitum ejus justo domino redditum esse, ipse quum Londinii essem scribam illius societatis percontatus pro certo comperi. Varii ejus recuperandi conatus *) ad irritum cecide-

*) Vir reverendus clarissimusque R. Payne-Smith, qui nuperrime in Heidenheimii ephemeridibus aliquot Abulfathi particulas e codice Bodlejano petitas publici juris fecit, quum ipse totius annalis edendi consilium cepisset, multo negotio sed frustra codicis Londinensis adipiscendi laborem suscepit. Rogatu meo denuo inquirere coepit. Sed operae eventum haudquaquam meliorem in epistola ad me data ita describit: „I am sorry to say that all my enquiries about the codex of the Samaritain chronicle lent by the London society for the con-

runt, ut existimandum sit, codicem illum in omne tempus deperditum esse; quae res eo incommodius nobis accidit, quod is codex omnium Abulfathi codicum, qui unquam in Europa extiterunt, optime scriptus esse perhibetur. — Denique Schnurrerianum codicem in Oriente duntaxat descriptum caeterisque dignitate parem olim extitisse, ex ambiguis Schnurreri verbis *) colligi poterat. Sed istum qui creditur Schnurreri codicem nihil esse nisi codicis Bodlejani apographum, et Gesenius **) recte conjecit, et Sacyus ***), qui illo Schnurreri apographo in edendo Abulfathi de Dositheis loco usus est, verbis suis confirmavit.

---

version of the Jews to the late Prof. Lee have proved unavailing. It does not appear in the Catalogue of Dr. Lee's library sold after his death. I fear, it is lost for ever."

*) Repertorium für bibl. u. morgenl. Litt. IX. pag. 45 : „Das andere sogenannte Buch Josua, dessen Verfasser Abulfetach heifst, ist ein Chronicon von Adam bis auf die Zeit Muhammeds. Dieses ist es, was die Samaritaner durch den Huntington nach England geschickt haben. . . . . Dieses Exemplar ist geschrieben im Jahr der Hedschra 1005 und geht bis auf das Jahr der Welt 5945 der Hedschra 898. — Der Verfasser dieses Aufsatzes besitzt auch ein Exemplar, bei welchem aber der Anfang fehlt. Dieses geht nicht, wie jenes, bis auf's Jahr der Hedschra 898, sondern nur bis zur Erscheinung Muhammeds." Errores, qui his verbis insunt, longum fuerit percensere singulos. Quod autem illi Schnurreri exemplo chronici exordium deesse perhibetur, eo facile adduci possim, ut codicis Parisini apographum in Schnurreri manibus fuisse conjiciam. Eadem Schnurreri verba Juynbollum induxerunt, ut in codice Bodlejano rerum narrationem ad annum H. 898 continuatam esse putaret, cf. Comment. ad hist. gentis Samaritanae pag. 63.

**) Gesenius de Samaritanorum theologia pag. 9. Carmina Samaritana pag. 13, not. f.

***) de Sacy, Chrestomathie arabe, tom. I. pag. 336 : „J'ai corrigé le texte de ce passage en plusieurs endroits par celui du manuscrit d'Oxford, dont M. Schnurrer a bien voulu me transmettre une copie."

III. DE SCRIPTORIS IN HIS ANNALIBUS COMPONENDIS PROPOSITO.

Quae de Abulfathianorum chronicon consilio et indole proponenda sunt, solum ex ipsis Abulfathi verbis effici potuerunt. In Samaritarum libris, qui adhuc in publicum prodierunt, nusquam de his chronicis fusius explicatur; neque litterarum historiam, qua libri Islamismi tempore compositi recenserentur, unquam apud illam gentem extitisse, nobismet persuasum est. In Arabum libris *) praeter scriptoris nomen nihil memoriae proditum invenimus. Sed scriptor ipse et originem et consilium in prooemio tam luculenter exposuit, ut haec ejus verba cum libri argumento comparantes de chronicorum indole et ratione dubitare nequeamus.

Abulfathus filius 'Abû'lḥasani Samarites e vico Daphnes oriundus ad plebejam sive Josephi stirpem referendus est, quia si sacerdotalis originis fuisset, id minime in chronicis silentio praeteriisset. Is quum a. H. 753 (inc. $\frac{1}{2}^{s}$ 1352) Pinhasi pontificis domum frequentaret, summis ab ipso laudibus celebrati, cum miseram populi conditionem resque ejus dissipatas apud illum deploravit, tum maxime certae et perspicuae rerum Samaritanarum inde a Mosis obitu narrationis desiderio tenebatur. Pontifici roganti, ut populi historiam inde ab Adamo usque ad novissima tempora (الى اخر وقت) describeret, Abulfathus curis humanis distractus primo quidem annuere non poterat. Sed quum triennio post a. H. 756 populi summum sacerdotem Nabulusi iterum convenisset, isque eum identidem ad scribendum hortatus esset, obsequi se illius voluntati religionis lege

*) Hag'i Chalfa ed. Fluegel II. p. 106, n. 2124.

obligari ratus, rem sibi aggrediendam esse ita statuit, si pontifex precibus eum apud Deum juvaret et operam suam in conficiendo libro praestaret.

Apparet igitur chronica eodem fere tempore composita esse, quo ultimi e Mamlûkis Bahridis de Aegypti et Syriae regno inter se certabant. Quorum aemulationi finem ne pestilentia quidem poterat imponere, quae a. H. 748 universum terrarum orbem devastabat. Atque rebellio a. H. 753 in Syria et in regionibus adjacentibus orta brevi opprimebatur. Sed in Palaestina rerum publicarum disciplinam labefactatam societatisque humanae vincula soluta esse, hac rerum conditione manifestum est. Tales autem tantasque calamitates, quibus omnes Palaestinae incolae urgebantur, infortunatae gentis Samaritanae miseriam ita auxerunt, ut nihil addi posse videretur. Uti enim Samaritarum historia continua fere per multa saecula rerum adversarum series continetur, ita tempore proxime superiore varia bellorum sacrorum fortuna in illorum semper detrimentum verti debebat. Oppidum Nabulusum cum ab aliis Muslimorum copiis vexatum tum a Saladini militibus direptum et pollutum esse, Arabum scriptores narrant. In Occidentis quidem chronicis nunquam fere Samaritarum mentionem fieri constat. Sed occidentales equites, qui rem Christianam contra Muslimos defendebant, nequaquam comiter cum Samaritis egisse, cognoscitur ex eo loco, quo semel in chronicis mentio eorum fit, pag. 132, 7. Secuta est Mogolorum invasio, qui Nabulusum ferro ignique depopulati sunt. Denique ad seditiosum ac turbulentum Mamlûkorum regnum jam accessit pestilentia, quae populum tot malis oppressum prorsus conficeret.

Quare haud scio an Abulfathus chronica composuerit, ut miseram populi conditionem solatio suo levaret. Nam pristinae gratiae divinae memoria excitata in civium animis

spem eorum, quae sibi a Deo promissa credebant, redintegrare atque ita in praesentis temporis calamitatibus solatium praebere poterat. Huic scriptoris consilio eventum non defuisse, inde intelligimus, quod etiamnum patres in usum filiorum haec chronica describunt, quo animos eorum ad gentis avitaeque religionis amorem incendant. Verumenimvero Samaritarum primores tunc aliam quoque ad populi animum erigendum inibant rationem, qua exposita nostram sententiam de Abulfathianorum chronicon origine nihil dubitationis habere patebit. Sacer enim Pentateuchi codex, quem anno tertio decimo post populi in Palaestinam adventum ab Abishua pontifice descriptum esse, Samaritae simulant, eodem anno, quo Abulfathus chronica composuit, repertus est. Quae res apud illum pag. 35, 9 — 36, 3 his verbis describitur : *Illo igitur anno* (tertio decimo post adventum) *'Abîsha' filius Pînhasi scripsit hunc librum nobilem, qui etiamnum extat in urbe Nabulusi, Dei custodiae commendata, servatus a domino nostro Pînhaso pontifice, cujus benedictionum Deus nos faciat participes et cui vitam producat. Manifestavit autem per illum Deus hunc librum, postquam evanuit et incognitus mansit iis, qui hunc in pontificatus dignitate antecesserunt. Estque, si velit Deus, laetus nuntius, fore ut illius aut filiorum ejus diebus gratia divina* (الرضوان) *appareat. Hoc ipso anno iterum detectus est sabbatho festi tabernaculorum; et quicunque de populo aderant, testes fuerunt, gravitatem ejus recte ponderantes.* Hac Abulfathi narratione optime puto illustrari et originem et aetatem codicis sacri hodieque in synagoga Neapolitana servati, cujus propius adeundi et per longius tempus inspiciendi potestatem Europaei Nabulusum venientes nunquam fere a Samaritarum religione impetrare poterant *). Huntington a. Chr. 1690

*) Repertorium für bibl. etc. Litteratur IX. pag. 6. Bargès,

hunc codicem quingentorum fere annorum aestimabat *). Quidquid id est, Samaritas Abulfathi tempore exitum mundi et reditum gratiae divinae prope instantem exspectasse, certum est his verbis, quae aliqua ex parte sacrarum litterarum narrationem 2 Reg. 22, 8 sqq. redolent. Atque in conscribendo annali scriptor idem sequebatur, quod codicis sacri revelationi propositum esse videmus. Antiquam favoris divini memoriam populo revocare ejusque animum ad appropinquantia Dei opera praeparare volebat. Quam ob causam Abulfathi chronica ad restituendum religionis studium apud Samaritas multum contulerunt populoque tot malis et aerumnis confectum animum reddiderunt, ut Dei benevolentiam iterum sperare auderet.

Quibus subsidiis in opere conficiendo usus quamque rationem in scribendo secutus sit, scriptor ipse satis aperte declarat. Neque enim aliam rem se ait propositurum esse nisi veram historiarum fidem ac sinceram populi memoriam, de qua certi rerum auctores consentiant. Quam ob causam Çadaqae **) cujusdam chronica in subsidiorum numerum recipere abnuit. Is enim ut Arabi urbis praetori populi sui auctoritatem commendaret, pontificum ordinem turbaverat ac fidem historicam apophthegmatum ac versuum ornatu irritam reddiderat. — Libri autem, e quibus tanquam e fontibus Abulfathus rerum gestarum notitiam hausit, aut Samaritana lingua aut Arabica conscripti erant. Graecae eruditionis ultima vestigia apud illius temporis Samaritas

---

les Samaritains de Naplouse Paris 1855 pag. 43 sqq. Rosen in: Zeitschr. der deutsch-morgenl. Gesellschaft XVIII. pag. 582 sqq.

*) Basnage histoire des Juifs, la Haye 1716. tom. II. 1. p. 168.

**) In codicis Lugdunensis XXVII. pag. 223 sqq. tractatus extat de Deo, cujus scriptor الشيخ الفاضل الحكيم موفق الدين صدقة الاسراييلى haec chronica forsitan composuerit.

evanuisse tum ipsa probatur scriptoris professione, se nominum Graecorum quae esset in fontibus multitudinem, quantum fieri potuisset, imminuisse, tum inde consequitur, quod ea nomina perraro recte scripta ac saepius adeo depravata sunt, ut agnosci nequeant. Enimvero libri, quos Abulfathus fide sua dignos habuit, paucis verbis iisque aliqua ex parte ambiguis describuntur. Quae mea quidem sententia de iis constare videntur haec sunt. — 1. Primum auxiliorum locum chronica obtinent, quae قطع البلدى inscribuntur, quorum duobus exemplis Abulfathus usus est, uno Arabico, altero Arabica lingua composito Samaritanisque litteris exarato. Hoc libro, quantum videre licet e mutila et obscura tituli forma, terrae sanctae inter populi Israëlitici tribus partitio exposita videtur esse, adjecta fortasse historia eorum, quae singulis quibusvis gentibus post occupata patrimonia acciderunt. Itaque hunc librum capitis Numer. XXXIV. (سورة التخوم) e Samaritarum placitis interpretationem fuisse conjicimus. — 2. Sequuntur deinde chronica, quibuscum Josuae liber aliaque id genus scripta in eadem compage comprehensa erant. Quos libros hactenus enumeratos Abulfathus a Pinhaso pontifice accepit. — 3. Tertio deinde loco tres annalium libri accedebant per antiquitatem dilacerati, quos Abulfathus e praefecturae domo (دار الرياسة), quae Samaritis erat Damasci, petiit; unde medio saeculo XIV. p. Chr. Damasci Samaritarum ecclesiam superstitem fuisse concludimus*). — 4. Denique inter Abulfathi fontes liber extat, cujus in progressu narrationis saepius fit mentio et qui summae auctoritatis apud

---

*) In codice ms. Lugdunensi pag. 264 librarius, qui a H. 893 scripsit, semet appellat ابن الرئيس الدمشقى. Cf. Hottinger bibl. orient. pag. 309. De ecclesiae Damascenae fatis exposuit Juynboll, Commentar. ad hist. gent. Sam. pag. 42 sq.

Samaritas fuisse videtur. Is catena vocatus (السلسلة) sive liber generationum (cod. A. p. 55, 7 التوليدة = ספר תולדות) seriem gentium Samaritanarum (عتر السامرة) inprimis pontificum (cod. A. السادة السامرة) exhibuisse traditur. Samaritarum autem de eo sententia haec videtur esse, ut istum librum ab Eleazaro Aharonis filio inchoatum ac deinceps per saecula pontificum additamentis continuatum denique pervenisse crediderint ad Pinhasum, qui sua ipse manu in extremo codice nonnulla adjecerit. Quae opinio haudquaquam miranda est, si fabula de Pentateuchi codice ejusque aetate reputetur. Hoc enim posito optime expediri posse videtur, quod istam catenam legimus *traditam esse manu pontificis supra dicti* i. e. Pinhasi Abulfathi aequalis, *scriptam autem calamo Eleazari pontificis, super quem sit salus*, pag. 5, 13. 14 *). Videlicet Pinhasus eam continua saeculorum traditione ab Eleazaro acceperat.

His igitur libris scriptor in chronicis componendis ita usus est, ut ea omnia, de quibus inter se convenirent, pro certis haberet atque in brevius contracta in libro suo proponeret. Nam lactis florem quasi dehaurire et optimum quidque, quod in populi sui libris historicis reperiretur, colligere instituit. Quod propositum illi praeclare cessisse existimamus, si Josuae liber cum his chronicis comparetur. Neque enim dubium est, quin eandem sollertiam ac diligentiam, qua usus est in libro Josuae in epitomen cogendo,

*) Haec comprobata mihi de illo libro sententia jam me adducit, ut Ann. pag. 5, 15 lectionem codicum A. B. ومنه lectioni codicis D. ومن praeponendam esse censeam. — In Josuae libro pag. 01 commemoratus est liber pontificum (سفر الايمة), in quo pontificum series a Pinhaso, Eleazari nempe filio, repetita sit. Is liber, qui idem videtur esse cum catenae libro, unus dicitur servatus esse Hadriani tempore, quum antiqui Samaritarum libri praeter scripturam sacram omnes perirent.

etiam ad reliquorum subsidiorum usum adhibuerit. Scriptor enim nunquam modestiae fines egressus in toto annali se virum praestitit sobrium ac prudentem, qui judicium haud aspernandum ubique in enarrandis rebus adhibuerit. Hac igitur Abulfathi indole prohibitum est, quominus codicis sacri revelationem cum Pinhaso pontifice ab illo institutam, meram fraudem esse suspicemur. Quamquam enim in judicanda historiarum veritate jejunus interdum ac severus est censor, at simul patriae religionis acerrimum vindicem se praebet, cui de „populi Israëlitici“ auctoritate persuasissimum est. Quin etiam peculiarem Dei benevolentiam patriamque erga Samaritanam gentem voluntatem primam narrationis suae legem et fundamentum quasi constituit. Quam ob causam et singula multa, quae Samaritae fabulantur, pro veris habere debuit, et totam chronicon narrationem religionis specie imbuit, quam non tam deridere et aspernari quam examinare et explicare virum doctum deceat. Quodsi vera a falsis dignoscere totamque libri rationem recte volumus intelligere, hanc gentis Samaritanae religionem ex Abulfathi verbis elicitam breviter exponamus oportet. Quod etsi nobis proposuimus, tamen non est in animo ceremonias aut singula dogmata explicare, de quibus rebus multi jam disputarunt; sed examinanda est populi de sua auctoritate sententia et constans religio, qua quaecunque in mundo atque adeo in rerum natura evenirent ad gratiae divinae spem ipsi lege Mosaica inculcatam referenda esse opinabatur.

IV. DE RELIGIONIS SAMARITICAE DECRETIS, QUIBUS HISTORICA HORUM CHRONICON RATIO INNITITUR.

Samaritarum populum Nehemiae demum tempore existere coepisse, nemo est, qui ignoret. De ejus tamen

origine dissensio est. Nam alteri Samaritas meram gentium barbararum colluviem esse arbitrantur, quae a sacerdote quodam, ab Assyriae rege in Palaestinam misso, 1 Reg. 17, 28 ac dein a transfugis Hierosolymitanis Jehovae sacra didicerit *); alteri iis admixtam esse statuunt aliquam plebis Israëliticae partem in terra sancta residuam, quum populi primores exules in Assyriam deducerentur **). Sed perdifficili hac ac perobscura quaestione in medio relicta, ipsam jam expendamus Samaritarum de sua origine sententiam, quam haud scio an nemo probet, licet eorum studiosissimus est. Etenim se populum vere Israëliticum esse gloriantur, qui sinceram religionem inde a Mosis tempore contra haereticorum defectiones ac gentium alienarum impetus sustinuerit. Quocirca generis nobilitatem vindicantes contra Judaeorum convicia, qui Samaritarum abavos „inimicos Judae et Benjamini“, cf. Ezra 4, 1, ipsos autem Kuthaeos nominabant, sese Pinhasi et Josephi populum (اهل فيناحس ويوسف) et fideles legis divinae observatores (الحافظين, לַחֲפִיטִין = שׁוֹמְרִים) ***), Judaeos autem rebelles (المخالفين) et populum errori obnoxium (الضالين اهل الضلال) appellant. Id populi de sua origine et auctoritate judicium Abulfathus annalibus suis stabilire instituit. Qua de causa hunc librum non immerito nobis videmur gentis Samaritanae apologiam nominasse.

Ac primae aetatis Samaritarum fatendum est animos

---

*) Hengstenberg, Die Authentie des Pentateuch I. pag. 3 sqq. Robinson, Palästina III. 1. pag. 339 sq.

**) de Sacy in : Notices et extraits XII. pag. 3. Knobel in : Denkschriften der Gesellschaft für Wissenschaft in Gieſsen pag. 129 sq. Petermann in : Herzog Realencyclopädie XIII. pag. 367. Horum sententiam plurimi tuentur, quos longum est enumerare.

***) Cf. Epiphanius haeres. IX. Opp. ed. Petav. I. pag. 24. Eusebius chronic. ed. Aucher II. pag. 175.

fuisse ad falsorum deorum cultum proclives, ut pro temporis opportunitate tum Jehovae cultores Judaeis cognatos tum paganos ethnicae religioni addictos sese nominaverint*). Sed populus qualis ex iis, quae jam supersunt, litterarum monumentis cognoscitur, toto animo unius Dei cultum amplectitur. Praesertim legislatoris decretum, beneficiis divinis affici, qui legi obtemperent, et contra puniri, qui Dei voluntati resistant, omni ex parte agnoscunt, seque propter sua totiusque gentis peccata ad miseram conditionem redactos esse profitentur. Ista igitur tenax legis Mosaicae observantia, quam ne Judaei quidem infitiari poterant**), populo vitalem spiritum inspirasse videtur, qui eum per omnes temporum vicissitudines vivum servavit ac parvulas vilesque gentis Samaritanae reliquias deleri non sinit. Populum autem, qui tantam legi Mosaicae fidem praestitit, omni originis Israëliticae nota destitutum fuisse, equidem credere non possum, ut taceam adeo terram non devastari, ut omnibus omnino incolis vacet. Itaque Samaritae, si religiosa eorum indoles cum posteriorum Judaeorum sacris comparetur, legitimi stirpis Ephraimiticae haeredes appellari videntur posse. Judaei autem, quum universo populi Samaritici erga legem Mosaicam obsequio infamiam afferre non possent, rarius eos in idololatriae suspicionem adducebant, saepissime turpem originem idque meliore fortasse jure illi exprobrabant. Quae harum

---

*) Josephus, Antiq. XI. 8, 6. cf. IX. 14, 3.

**) Liberales Judaeorum viri atque auctoritate pollentes v. c. R. Gamaliel ejusque filius R. Shim'ôn, R. 'Aqîba alii aequius de Samaritis judicabant. Qiddush. fol. 75^b. Jerush. Pesachîm fol. 27^b Sheqalim 46^b. Quamquam Samaritarum religio saepius in libris Talmudicis in controversiam adducitur, ac Mishnicorum Amoraeorumque plurimi aliter de ea sentiebant.

duarum gentium aemulatio fons est capitalis odii, quo usque ad hunc diem inter se dissident *).

Principalem locum, in quo Samaritanae religionis sacra nitantur, Deut. 24, 7 de lapidibus altaris in monte Garizim erigendis data opera e Masorethici exempli lectione depravatum esse, omnes concedunt. Etiam pericopen, quae in Pentateucho Samaritano post locos Exod. 20, 17 et Deut. 5, 21 conflata legitur e versibus Deut. 27, 4—7 et Deut. 11, 30, consentaneum est de industria insertam esse, qua et decimi in decalogo praecepti vices expleantur et montis Garizim auctoritas vehementius commendetur. — Quamquam, hac pia fraude omissa, non solum in Pentateucho, cui uni divinam originem Samaritae tribuunt, sed etiam in reliquis V. T. libris multi extant loci, in quibus stirpis Ephraimiticae auctoritas et regionis ab ea habitatae sanctitas sive laudibus effertur, sive tacite comprobatur. Ipsius Josephi, a quo originem suam repetunt, maxima est in Genesis libro praeter ceteros Jacobi filiis auctoritas. Populi Israëlitici proavi, Abrahamus, Isaacus, Jacobus, plurimum in ea terra commorati, multa cultui divino loca ibi consecrarunt. Et Sichem (Neapolis, Nabulus) Palaestinae mediae caput usque ad regni Israëlitici discidium apud populum plurimum valebat, Jos. 24, 1 sqq.; Jud. 9, 1 sqq.; 1 Reg. 12, 1 sqq.; cf. Gen. 33, 18. 19; 48, 22. Quae omnia Samaritae, quum se legitimos Josephi posteros jactarent, callide in suos usus converterunt, ac de suo multa temere excogitata addiderunt. Disciplina autem religiosa, quam hac via constituerunt, cum ab universa Pentateuchi ratione profi-

*) Pirke R. Eliezer cap. XXXVIII. cf. Walton Polygl. Lond. I. Proleg. p. 75. Mill diss. sel. 1743 pag. 425 sqq. Selden de jure naturae et gentium apud Hebraeos pag. 177. Winer Real-W.-B. II. pag. 372.

ciscitur, tum in Deuteronomio nititur, ex quo etiam in Abulfathi chronicis plurimi loci proferuntur.

Religionis summam Samaritae ad quinque *) capita revocant, quibus comprobatis homo Israëlita sincerus a quovis alienae religionis assecla distinguatur : capita de Deo, de Mose Dei legato, de lege divina per Mosen revelata, de monte Garizim, ac de die judicii extremi. Ad instituendam hanc disciplinam, quae plane respondet peculiari religionis Samaritanae indoli, nihil valuisse puto Islamismum, in quo totidem fidei capita enumerantur **). Quamquam in describendis his rebus persaepe Islamicis loquendi generibus Samaritas usos esse videmus. Accuratiora hujus doctrinae breviter exposita haec fere sint. — 1. Deum unum (كلمة التوحيد Deut. 6, 4 שמע וגו cf. Annal. p. 10, 18) ab omni humana qualitate alienum et remotum esse (لا يكيف ولايوصف) praedicant, etsi rerum naturam causam dicunt esse, qua majestas et magnificentia ejus cognoscatur. Imprimis jejunam Arabum de Deo doctrinam secuti cavent, ne Deo socius tribuatur (شرك بالله). Propria autem Samaritarum theologia dogmatis de nomine et qualitatibus Dei (ذكر اسمه وشرح صفاته) absolvitur. Etenim ad se pertinere ajunt magnum Dei nomen (اسم الله العظيم) ***) veram duntaxat et manifestam Dei essentiam, quae uni populo sancto revelata sit. Quemadmodum enim apud Judaeos †) ante Hierosolymorum excidium ad universum populum

---

*) Meshalmah epistolae scriptor apud Heidenheimium, Vierteljahrschr. I. pag. 100 : ואנחנו לא נאמין אלא ביהוה ובמשה בן עמרם עבדו ובתורה הקדושה ובהר גריזים בית אל וביום נקם ושלם :

**) Weil, Muhammed, pag. 288.

***) Annal. pag. 41, 9 cet. Meshalmah l. c. pag. 98 : כי טמצא עמנו שם יהוה הגדול במקום רב :

†) Buxtorf, lexicon chald. rabb. s. v. שֵׁם.

patebat sacrosancta Dei essentia, Num. 6, 27, quae augusto tetragrammate sive nomine explicito (השם המפרש) continetur, ita Samaritae nobilissimo loco, in summo videlicet montis Garizim vertice, revelatam Dei essentiam extare asseverant, pag. 67, 14. 15. Paterna autem Dei erga populum electum voluntas e praeclaris ejus qualitatibus (صفاته الحسنى Exod. 34, 6 ויי' אל רחום וגו *) cognoscitur, in quibus populi de reditu gratiae divinae spem positam esse credunt. Antiquo autem favoris divini tempore Deus tanquam heros bello fortis (جبار الحروب) populo opitulatus hostes ejus fugabat, cf. pag. 15, 16. — 2. Mosen, unicum Dei legatum (رسول الله) et prophetam (نبيه), hominis non angeli sive genii natura praeditum esse profitentur. Sed omnes homines dignitate antecellit, quod Deus praesens eum allocutus voluntatem suam populo sancto per eum revelare dignatus est. Quam ob causam servus Dei praeter caeteros (عبده) appellatur, fidelis domus divinae procurator (امين عالمه cf. Num. 12, 7) atque vir, qui cum Deo collocutus voluntatem ejus hominibus patefecit (كليم الله cf. Exod. 4, 16). Atque tanta est hujus prophetae apud Samaritas auctoritas, ut reges ac pontifices dignitate superet, neque ullus unquam propheta post Mosen in hoc mundo oriturus sit, pag. 63, 2 sqq. **). Etiam Messias

---

*) Annal. pag. 67, 3. Uberius hac de re exponitur in codice ms. Lugdunensi XXVII. pag. 246 sqq.

**) Nec tamen Samaritae, id quod exspectaveris, lectionem Masorethicam loci Deut. 34, 10 יקום in קם commutarunt, cf. Bibl. polygl. Londin. ad h. l. et Ann. p. 99, 18. 19. Insolentia ac rariora sunt loquendi genera, quibus plures prophetae agnosci videntur, pg. 109, 3 cf. pg. 1, 3. Singularis autem Mosis auctoritas jam inde mihi comprobari videtur, quod in iis, quae ad meam quidem notitiam pervenerunt litterarum monumentis, nomen ejus nemini unquam Samaritae tribuitur, dum Aharonis, Eleazari, Pinhasi aliaque sanctissimorum hominum nomina cuivis hominum generi indita reperiuntur.

restitutor, quem sperant Samaritae, Mose inferior erit. — 3. Lex divina, in Pentateucho revelata, e Samaritarum opinione perfecta et absoluta est (شريعة تامة كاملة), quae omnibus omnium temporum hominibus satisfaciat, neque unquam aut imminui aut suppleri debeat, Deut. 4, 2 cf. Ann. p. 63. Quam opinionem non solum contra Judaeos tuentur, qui alios praeter legem libros sacros accipiunt, sed etiam contra „Graecos“ pag. 100, 6 sqq., qui legum utilitatem temporum conditioni ac diversis hominum ingeniis accommodandam esse existimant. — 4. Mons Garizim unica Dei in hac terra atque vitae aeternae (محل الحياة الدائمة p. 97, 7) sedes omnium locorum sanctissimus est. Duos habet vertices, quorum altior (جبعثه cf. Gen. 49, 26) inferiori (القيمة السفلى) *) sanctitate multum antecellit; quare etiam rupes benedictionis (طور بريكى cf. Deut. 11, 29) sive rupes eximia (طور شريف) appellatur. Etenim in templo, quod a Josua ibi exstructum esse fabulantur, sacrum tentorium (المشكن) reconditum esse, ac divinam majestatem sive praesens Dei numen (تواجهه pag. 39, 6) sese revelasse, Samaritae tradunt. Qua de causa mons Garizim, quum apud Samaritas omni sanctitatis et praestantiae nota (الجبل المقدس المفضل) eximius sit, appellatur altissimus et nobilissimus in orbe terrarum locus (ارفع المواضع واجلها بعد الجنة pag. 41, 5 cf. 87, 4) unicus montium cf. Gen. 22, 2, domus Dei (בית אל) ac porta coelorum (לוזה cf. Gen. 28, 17. 19). Alias de monte Garizim fabulas hic merito omittimus. —

---

*) Ann. pag. 109, 6. Is montis Garizim vertex inferior etiam المنصبة السفلى appellatur, quia Jacobus patriarcha in eo cippum erexisse perhibetur, Gen. 35, 14. Quemadmodum enim Samaritae „colle aeterno“ Gen. 49, 26 cf. 28, 19 verticem superiorem denotari opinantur, ita „lapidem Israëlis“ Gen. 49, 24 ad hunc inferiorem verticem referunt; cf. Mémoires de l'Académie des Inscriptions XLIX. pag. 195, Orientalia edd. Juynboll Roorda, Weijers II. pag. 150.

5. Die retributionis (يوم الانتقام) Samaritae recentiores non eam, quam in V. T. libris invenimus, notionem (יום נקם Jes. 34, 8) significant. Pro ea populi sententia, quae Abulfathi tempore ac multis fortasse saeculis ante eum invaluit, his verbis denotatur justum Dei judicium, quod hominis animam in vita post mortem futura maneat, pag. 97 sq. A principio autem Samaritas longe aliter hac de re sensisse, paullo infra patebit. Equidem hoc quintum religionis Samariticae caput postea additum esse conjicio *).

Quamquam autem Samaritae se fideles legis observatores habent, hoc tamen tempore neque legis praeceptis plane satisfieri posse neque sibi beneficia divina legis obsequio proposita impertiri, ipsi concedunt. Itaque ut ipsorum de sua auctoritate sententiam cum rerum veritate conciliarent, dogma statuerunt, quod propria religionis Samaritanae sedes ejusque fundamentum quasi est, dogma dico de gratia divina (الرضوان) olim propter populi peccata amissa et aliquando post novissima hujus mundi fata iterum recuperanda. Etenim duas fingunt aetates, quibus ad integram Dei gratiam populo sancto aditus pateat. Harum altera ad praeteritum tempus pertinens jam pridem evanuit, altera autem posthac futura populum omni beatitudinis genere afficiet. Quaecunque autem inter has duas aetates media in hac terra eveniunt, temporis sunt, quo gratia divina cum tentorio sacro evanuit (فنوتة), ac certis quasi limitibus circumscripta ab altera gratiae divinae aetate

*) Primitus Samaritae tria tantum fidei suae fundamenta videntur constituisse: de Deo, de Mose Dei propheta, ac de lege per eum revelata, cf. Annal. pag. 121, 17 et litterae Samaritarum ad Josephum Scaligerum in : Repertorium für bibl. u. morgenl. Litt. XIII. p. 267. Quibus postea capita de monte Garizim et de die retributionis addiderunt, quo et accuratius a Judaeis internoscerentur et impietatis suspicionem a se removerent.

proficiscuntur et ad alteram spectant. Hoc igitur religionis Samaritanae decretum, quod rem causamque maxime continet ad Abulfathianorum annalium rationem perspiciendam, jam accuratius explicandum est.

Ac de gratiae aetate olim praeterita quae sit populi sententia, et in Josuae libro et in his Abulfathi chronicis satis facile expeditur. Illo enim tempore populi imperium recte erat constitutum, et legis praecepta plene observabantur. Quod enim Samaritae semet Josephi et Pinhasi populum appellant, ad rei publicae disciplinam legitime constitutam pertinet. Videlicet regiam et pontificalem dignitatem hoc nomine sibi vindicant. Namque Pinhasus, Eleazari filius et legitimus muneris pontificalis haeres, cf. Num. 3, 32; 20, 28; Deut. 10, 6, patronus erat foederis rite sanciti (الله وبث), quod Deus cum populo Israëlitico iniit. Samaritarum autem pontifices ad hunc usque diem et generis originem et muneris jus potestatemque a Pinhaso domus pontificiae auctore deducunt *). Primam

*) R. Benjaminus Tudelensis Judaeorum odio in Samaritas non prohibitus est, quin iis pontifices de Aharonis gente oriundos attribueret, cf. Itinerar. ed. Const. l'Empereur pag. 38 sq. : „Hi sacerdotes habent ex Aaronis prosapia eosque Aaronaeos appellant : qui cum illis matrimonio non junguntur, sed inter se, qui ex sacerdotali sunt genere, ne cum illis confundantur. Sunt tamen legis illorum sacerdotes parantque victimas et offerunt holocausta in illorum congregatione idque in monte Gerizzim.“ — Anno 1675 p. Chr. Samaritae, quum populi sui cognatos, qui ipsorum defectum compensarent, in Britannia habitare putarent, pontifices suos non ab Aharonis familia originem ducere sed simplices Levitas esse, cf. Ann. pag. 126, 5, ingenue confitebantur. Notices et extraits XII. pag. 73 et 218. Sed postea vindicias Aharonicas redintegrarunt, etsi, gentem vere pontificalem exstinctam esse, denegare non poterant. Salâma, 'Imrâni pater, ab 'Uzziêle Aharonis patruo, Exod. 6, 18, originem suam petebat, cf. Notices et extraits XII. pag. 234 cet. cet. Bargès, les Samaritains pag. 72 sq. Petermann in Herzog Realencyclopädie XIII. pag. 371 not.

enim erroris et discidii in populo sancto causam dicunt esse ʿElî pontificis de domo Ithamaris oriundi, cf. 1 Sam. 2, 35 sqq.; 1 Reg. 2, 35 sqq. seditionem; qui contra ʿUzzî ultimi in Riḍhvano pontificis auctoritatem rebellans Siluntem abierit ac schismatis postmodum Judaici fundamenta jecerit *). Itaque Pinhasi nomine Samaritae dignitatem vere pontificiam tuentur. — Josephum autem alterum e proavis, cui tribuenda est regia potestas (صاحب المملكة pag. 25 4, cf. Gen. 49, 26; Deut. 33, 16; 1 Paralip. 5, 2) universi orbis terrarum dominium populo sancto legasse ferunt. Quare Josuam, qui ab Ephraimo nobiliore Josephi filio originem duxit, regem totius populi constitutum esse simulant, eumque indutum esse fabulantur et diademate regio (تاج الملك), cui sanctissimum tetragramma inscriptum fuerit, et pallio regio symbolicis populi sancti coloribus, cf. Exod. 26, 31 cet., exornato pag. 21, 10. 11. Sed quandoquidem Josephi haereditas ad omnes ejus posteros pertinet, Nabîḥo (نبيح = נֹבַח Num. 32, 42) e stirpe Manassis oriundo duarum tribuum et dimidiae terram trans Jordanem incolentium regnum ac diadema a Josua delatum esse perhibent, pag. 28, 6. Is viridi et pallii et diadematis ornatu **) arboris virentis ac frugiferae symbolum (בֵּן פֹּרָת Gen. 49, 22) tanquam Josepho proprium significare videtur. Atque contra Shaubakum dimicans eumque devincens regiam Josephi dignitatem contra Kanaanitarum reges defendit, qui oriundi videlicet a Hamo Noachi filio ipsi totius terrae dominium affectaverint, pag. 25, 6. 7.

---

*) Cf. Salâma in Notices et extraits XII. pag. 159.

**) Lib. Josuae cap. XXXVII. exord. Haec conjectura mihi probabilior videtur, quam quae Juynboll ad lib. Jos. pag. 282 de Arabica hujus symboli origine autumavit.

Sub ejusmodi regiminis praesidio populus Israëliticus primis ducentis sexaginta annis post adventum in Palaestinam omnibus benevolentiae divinae commodis fruebatur. Sed statim post Simsonis regis mortem anno ultimo 'Uzzî pontificis Deus ei similem peccatorum poenam inflixit, qualem Adamus generis humani auctor e paradiso expulsus persolverat (ein zweiter Sündenfall) pag. 39 sqq. Ex eo inde tempore, sublata regis legitimi auctoritate, pontificia tantum dignitas supererat. Exemplum autem beatitudinis, quae ante istam cladem fuerit, Abulfathus in chronicis pag. 30 sqq.*) cupide describit tempus, quo Josua rex una egerit cum Eleazaro pontifice in temperanda e legis praeceptis Samaritarum re publica. Devictis Dei populique hostibus ac terra sancta inter tribus aequabiliter dispertita, Eleazarus pontifex cum sacerdotibus et Levitis res divinas et sacra rite administrabat, rex autem Josua cum septuaginta senioribus et duodecim tribuum principibus res humanas secundum revelatam Dei voluntatem prudenter curabat. Atque omnes populi ordines pro suo quisque loco observabant legis praecepta, quae singillatim in chronicis enumerantur pag. 30 sq. Hac fideli autem legis observantia factum est, ut praesens Dei numen in monte Garizim inque templo ibi exstructo se manifestaret, atque ignis divinus (النار اللهوتية) inde exiens sacrificia in duobus altaribus (مذبح الحجارة ومذبح النحاس) oblata illico absumeret. Neque Samaritae hanc auream quasi aetatem respicientes, populi salutem ad omne tempus deperditam esse, sibi persuadere poterant.

De futura tamen gratiae aetate quid sperent Samaritae, accurate nondum scimus. Neque enim Abulfathus praeter laetam hujus temporis exspectationem aliud

*) Cf. lib. Jos. cap. XXXVIII.

ejus indicium in chronicis commemorat. Ac Samaritae epistolarum scriptores ad quaestionem hac de re propositam nunquam perspicue et explanate responderunt. Extat autem chronicon liber propheticus, quem a Mose compositum esse fabulantur, apud 'Imrânum *) hujus temporis pontificem, e quo deprompta fuerint, quae Petermannus de hoc Samaritarum decreto subtiliter enarravit. Haec igitur comparata cum iis, quae aliunde novimus, fundamenta sunt, quibus freti Samaritarum de Riḍhvâni reditu doctrinam adumbrare conamur.

Ante omnia teneamus oportet, salutem a Samaritis exspectatam, quum sexcenties in chronicis verbis حين يعود الله برضوانه vel similibus formulis significetur, nihil esse, nisi superioris gratiae reditum ac proinde populi restitutionem, qua antiqua ejus conditio redintegretur. Ex quo consequitur, ut favoris divini aliquando futuri indicia simillima esse debeant gratiae, quam se populus propter peccata sua amisisse profitetur. Ac Messias, quem Samaritae antiquitus exspectarunt **), in recentioribus libris ubique תהב (שהב תאב) nominatur ***).

---

*) Petermann, Reisen im Orient I. p. 284 et in : Herzog, Realencyclopädie XIII. pag. 376. — In Josuae libro pag. ٥١ liber de vita futura (سفر الاخرة) commemoratus est, qui Hadriani tempore deperditus esse fertur. Hujus vindicias Samaritae recentiores fortasse iterarunt. — 'Abû'lhasani Tyrii libro, qui كتاب المعاد inscribitur et cum Abulfatho Bodlejano in eodem volumine comprehensum est, nonnulla contineri speraveram, quae ad hoc decretum spectarent. Quae spes me magnopere fefellit, quum paginas ejus percurrerem. Neque enim alia res in eo legitur nisi diutina molestaque vitae post mortem futurae argumenta e Pentateucho repetita secundum usitatam apud Samaritas interpretandi rationem, cujus exemplis etiam Abulfathi annales referti sunt, cf. pag. 98 sq.

**) Ev. Joann. 4, 25 cf. Justin. Martyr. apolog. I. 53.

***) Cf. litterae Samaritarum ad Scaligerum in : Repertorium XIII. pag. 266. Epistola tertia Sichemitarum ad Ludolfum, ed. Bruns

Quo vocabulo secundum transitivam notionem, quae verbo שוב interdum inest *), intelligendus est reductor sive conversor, i. e. Messias, qui gentem Samaritanam ad pristinum statum reducat; id quod magnopere convenit generali hac de re sententiae, quae supra proposita est. Neque Samaritas ab hac opinione plane alienos fuisse, vox المهدى docet, qua istam Messiae notionem Arabice exprimunt **). Sed verbo שוב (חוב), a quo derivatum est id participium Peal secundum Samaritanam consonas gutturales cum semivocalibus permutandi rationem, plerumque intransitiva inest notio. Qua de causa vocabulum תָּחֵב primo eum qui se convertit vel poenitentem significat. Etenim poenitentiam Samaritis principalem conditionem fuisse, qua populus Israëliticus instauratae gratiae divinae beneficia impetrare queat, cf. Matth. 3, 2, videndum est apud 'Abû'lḥasanum ibn Ġanâ'im, qui in libro poenitentiae (كتاب التوبة) ***) duplex poenitentiae genus constituit, alterum, quod ad singulos quosque homines pertineat (افريدية), alterum, quo universus populus Dei gratiam reconciliare debeat, (اجماعية) cf. Ann. pag. 62, 3. Nam ille profert locos Deut. 4, 30; 30, 2. 3, quippe qui populo poenitentiam commendent ad recuperandam salutem superiorem, ac deinde ita pergit :

وهذا بشرى بعودة الرضوان واسكان ·𐤔𐤋𐤔𐤄 فى محله الاول
وحصول ·𐤔𐤋𐤔𐤄 ·𐤀𐤋𐤔𐤄 الذى ما بعدها ·𐤔𐤋𐤔𐤄 ورزقنا

---

ibid. pag. 281. Salâma in Notices et extraits XII. pag. 121. Gesenius de Samaritanorum theologia pag. 43 sqq. Carmina Samaritana pag. 75 sq.

*) Gesenius, thesaurus et Winer, lexicon manuale s. h. v.

**) Robinson Palaestina III. pag. 320.

***) Codex ms. Lugdunensis XXVII, qui jam saepius commemoratus est, pag. 306 sqq. et 316 sqq.

الله واياكم توبة خالصة لنرى بها ثمرة الوعد الشريف وهو المسول يقرب ذلك برحمته وعظيم فضله امين فان هذا الوعد الشريف لا بد من حصوله واما ما ذكروه السلف فى صحة هذا الوعد الشريف فكثير منهم مرقه رضى الله عنه اذا يقول فى ܬܘܒܬܐ ܕܫܪܝܪܐ ܕܢܚܙܐ ܒܗ ܦܪܝܗ ܕܫܘܒܚܐ ܘܝܩܪܐ ܕܥܠܡܐ ܕܐܬܐ ܒܫܘܒܚܗ ܕܢܗܐ ܕܒܛܠ ܒܛܝܠܘܬܐ ܕܢܬܬ ܠܢ ܡܪܢ ܠܢ ܘܠܟܠ ܕܒܥܝܢ ܡܢ ܪܚܡܘܗܝ ܘܒܣܓܝ ܛܒܘܬܗ ܐܡܝܢ ܘܠܐ ܡܫܟܚ ܕܠܐ ܢܬܬ ܠܢ ܗܕܐ ܫܘܒܚܐ ܫܪܝܪܐ ܘܣܓܝ ܐܝܟ ܕܐܡܪ ܒܫܘܒܚܗ ܕܡܪ ܡܪܩܐ ܕܒܟܬܒ ܒܣܦܪ ܕܪܙܐ ܕܐܠܗܐ ܒܟܠ ܕܡܨܠܝ ܒܗ ܠܒܪ ܐܡܪ ܒܪ ܕܐܬ ܕܐܬ ܒܗ ܢܬܬ ܠܗ

(conversorem) *spectat, quoniam ille tanquam vindex totius mundi egredietur secundum illud, quod ait Marqah : „poenitentes vincunt in praelio, manifestant relaxationem Deoque suo ministrant.“*

Hisce verbis universi dogmatis de gratia divina aliquando reditura brevis adumbratio continetur. E quibus colligitur, poenitentiae et restitutionis notiones arta necessitudine inter se cognatas eodem vocabulo תהבה designari, id quod Sacyus *) injuria negavit; itaque voce תהב, quae primitus poenitentem significat, etiam populi conversorem denotari, luculenter apparet. Quare Messias rex sive Taheb sua populique poenitentia efficiet, ut hostes devincantur et, favente Dei numine, antiqua populi conditio restituatur. Illum autem e Samaritis oriturum, Josephi duntaxat et Pinhasi populo, ad Josephi stirpem referri debere, consentaneum est. Quam ob causam locum celebratissimum Gen. 49, 10 apud Samaritas non de Messia intelligi sed de Salomone **), nequaquam mirandum est. Quod autem

---

*) Notices et extraits XII. pag. 29 cf. Gesenius, de Samaritanorum theologia pag. 44 not. 106.

**) Epistola tertia ad Ludolfum in : Repertorium XIII. pag. 281, 'Abûsa'îdi versio ad Gen. 49, 10 et Scholiasta ad hunc locum in Mémoires de l'Académie des Inscriptions XLIX. pag. 41. Satis temere J. C. Friederich, de Samaritanorum christologia pag. 65, Samaritas eundem atque Judaeos Messiam exspectasse, affirmat. Quin potius decretum de Messia filio Josephi tam accurate ad religionis Samaritanae naturam accomodatum est, ut origo ejus a consimili Judaeorum dogmate de Messia ben Joseph repeti nequeat, cf. Hulsius, theol. jud. Breda 1653 pag. 35 sq. Recte igitur Gesenius, de Sam. theol. pag. 42 not. vix dubitari posse ait, quin Messias e Samaritarum decreto e tribu Ephraimitica oriturus sit cf. Gieseler Lehrb. der Kirchengesch. I. 1. pag. 63, not. ed. quartae. — Gravius certe impedimentum huic sententiae obstare videtur, quod reges, qui Josuae successores ac Messiae Taheb quasi prototypi per Ridhvâni tempus regnasse feruntur, Ann. pag. 33, 8 sqq. ad omnes fere populi Israëlitici stirpes referuntur, nec pauci eorum e tribu Judae oriundi sunt. Sed horum nomina Sa-

Tahebum Mose inferiorem fore perhibent *), cum ad principale spectat Samaritarum de propheta decretum, e quo nemo unquam major Mose aut potuit existere aut poterit, tum inde explicatur, quod Messiae regis e tribu Josephi orituri ad restituti Ridhvani pontificem eadem erit ratio, quae inter Josuam et Eleazarum intercedebat. Quam ob causam Taheb Mosis discipulus (تلميذه) ejusque successor (خليفة رسول الله), devictis ad Josuae exemplar populi sancti hostibus, regnum Israëliticum restituet atque pontifici et sacerdotibus et Levitis copiam sacris rite perfungendi parabit **). Tentorium sacrum cum praesenti Dei numine de coelo descendet. Ara lapidea olim a Josua exstructa de integro condetur; vasa sacra, vestes sacerdotales aliaque ad cultum divinum necessaria, quae Panuthae tempore in caverna montis Garizim nemini cognita reconduntur ***), apparebunt. Denique collectus iterum ab omnibus mundi plagis populus Israëliticus leges institutaque a Mose sancita religiose exequetur ac gentes imperio suo coërcebit.

---

maritae sine judicio petierunt e V. T. libro Judicum. Ac Ridhvâni tempore nulla dum tribus a vera religione defecerat; qua de causa e qualibet earum homo existere poterat, qui imperium legitimum susciperet.

*) Petermann Reisen im Orient I. pag. 284 : „Dieser Taêb ist aber nicht gröſser als Moses, sondern nur sein Nachfolger, welcher sein Gesetz in aller Welt verbreiten wird.“

**) Haec restituendi a Messia per orbem terrarum imperii Samaritani exspectatio epistolarum auctores arcuit, quo minus dogma de eo palam profiterentur. Excusatio videtur esse, quod Messiam cum aliarum religionum assectatoribus de religionis dogmatis disputaturum esse simulant. Meliore jure id decretum magnum mysterium appellatur, Cf. Salâma in : Notices et extraits XII. pag. 121 sq.

***) Annal. pag. 40, 2 cf. Joseph. Antiq. XVIII. 4, 1. 2. Ab hac Samaritarum opinione Judaei opportunitatem arripuisse videntur, ut deorum simulacra in monte Garizim recondita ab iis adorari contenderent : Jerush. 'Abodah zarah fol. 44 . cf. Epiphan. haeres. IX. Opp. ed. Petav. I. pag. 25.

Judaeorum vero exemplum secuti Samaritae, hunc mundum per sex millia annorum permansurum, ac Messiam paullo ante circumactum sexies millesimum annum sive paullo post adventurum esse, sperant *). Sed religionis decreta in temporum calculo posita semper ad variam temporum rationem hominumque varia ingenia accommodari solent. Quare et Samaritarum de Messiae adventu calculus saepius immutatus est, et hujusmodi temporum computationes hominibus rerum novarum cupidis saepius ad inepta commenta sua vulgo obtrudenda ansam dederunt **). Ac ne nostra quidem aetate Samaritae de instanti Messiae adventu desperarunt illumque omnibus adhuc incognitum jam in vitam venisse opinantur. Haec exspectatio quomodo ad effectum adduci queat, ipsi viderint. Profecto Abulfathi ratio chronologica in illa opinione nititur de Messia

*) Petermann l. l. pag. 283 sq. : „Von ihm (dem Taêb) sagen sie, dafs er 6000 Jahre nach Adam kommen werde. Diese sind nach ihrer Berechnung jetzt beinahe verflossen. Von dem Jahre 1858 prophezeien sie eine vollständige Umwälzung auf der Erde . . . . Dann werden Alle an die Torah glauben und den Taêb als ihren König anerkennen. Dieser wird die wahre Gotteserkenntnifs auf der ganzen Erde verbreiten und 110 Jahre auf der Erde leben, dann wieder sterben und neben dem Garizim begraben werden.“ Cf. Repertorium IX. p. 27.

**) Jam antiquissimo tempore Samaritae Messiae adventum proximum esse sperabant. Rebellionis a Pilato oppressae, de qua loquitur Josephus eo quem diximus loco, nec minus seditionum a Dositheis motarum causa erat Messiae spes apud populum concitata. — Anno 1589 Samaritae in epistola ad Scaligerum scripta, neminem nisi solum Jehovam Messiae tempus exploratum habere, profitentur; cf. Repertorium XIII. pag. 266. Fortasse exspectationes saepius deceptae illo tempore eos induxerunt, ut de certo calculo desperarent. Anno 1810 Samaritae annum mundi 6246 numerabant, quo antiquum calculum jam pridem ad irritum cecidisse efficitur; cf. Notices et extraits pag. 67. — Similem ob causam Judaei, postquam saepius in fraudem inducti sunt, diris devovebant omnes, qui Messiae tempora computare auderent, Sanhedrin fol. 97^{b}, Lipman Niççahôn ed. Hackspan pag. 187 cf. Matth. 24, 36; Act. 1, 7.

sub sexies millesimum annum post mundum conditum adventuro; quam ejus opinionem cognovisse, equidem ad universos annales recte intelligendos summi momenti esse arbitror.

Samaritarum de Messia ac de Riḍhvâni reditu decretum per se spectatum accurate cum legis Mosaicae indole convenit. Haec enim tota versatur in theocratia sive in constituenda Dei maximi regis per hanc terram dominatione. Decreta de corporum in vitam reditu ac de animae immortalitate aliena videntur esse ab antiquissima religionis Mosaicae indole neque disertis verbis in Pentateucho promulgantur. Atqui decretum primitus Judaicum de corporum mortuorum in vitam reditu unum ad reliqua V. T. dogmata quadrat neque ante exilium Babylonicum expressis verbis proponitur. Quodsi Samaritas consentaneum est non ascivisse Judaicum de corporibus in vitam redeuntibus dogma, sed animae immortalitatem eos credere constat, haec de vita animae post mortem futura opinio aliunde petita non ad antiquissimae religionis Samaritanae rationem pertinere potest. Ac Samaritae recentiores restitutionis (المعاد) notionem, quae Riḍhvâni tantum decreto accommodata est, ad animae immortalitatem pedetentim transferebant, pag. 97, 9. Primae autem aetatis Samaritas nihil hac de re praeter sacrorum librorum de animae שאלה descensu sententiam statuisse, recte conjicere mihi videor. Quo posito et patrum ecclesiae auctoritas stabilitur, qui Samaritas vitae post mortem futurae spem denegasse constanter asseverant*), et propensa eorum in Sadducaeos vo-

*) Origenes in Matth. tom. XVII. Opp. ed. Delarue III. pag. 811, homil. XXV. in Numeros Opp. II. pag. 365. Cyrillus Hierosolym. catech. XVIII. 6. Epiphanius haeres. IX. Philastrius haeres. VII. Gregorius magnus Moral. in Job I. 15. cet. cet.

luntas pag. 102, 6 sqq. bene explicatur. Haec omnia tamen, alibi fortasse uberius explicanda, jam missa facimus, ne disputationis fines egrediamur. Posterioris temporis Samaritae etiam in hac re posteriorum Judaeorum exemplo adducti illa duo de populi restitutione ac de animae immortalitate dogmata, quantum fieri poterat, inter se conciliare et congrua facere studebant *). Immo, si verbis fides est, Samaritae recentissimi cum animae immortalitate, quam solam in praecipuis eorum libris commemoratam esse memini, decretum de corporum in vitam reditu copularunt. Messiam centum decem annos in hac terra regnaturum esse ac deinde morte oppetita prope montem Garizim sepultum iri profitentur. Tum mortui reviviscent, ut novissimum Dei de hoc mundo judicium subeant **). — Nam in re tam obscura fieri non poterat, quin religionis decreta a diversa origine profecta paullatim inter se commiscerentur.

Sed vereor, ne longus fuerim, etsi, me omnem obscurae hujus et impeditae quaestionis difficultatem sustulisse, nequaquam contenderim. Quamquam dogmatis de Messia Samaritano uberior expositio, quum magnopere ad enodandam Abulfathi rationem historicam faciat, omnino praeteriri non poterat. Nam ille quaecunque in hac terra eveniunt ex populi sui commodo aut incommodo aestimat,

---

*) Judaei dogmata de saeculo futuro (עולם הבא) ac de mortuorum in vitam reditu nunquam certo ordine disposuerunt. Controversia hac de re nondum dijudicata est. Sed plurimi e Rabbinis Messiae adventum et mortuornm in vitam reditum ad diversa tempora referenda esse censebant, cf. Gfrörer das Jahrhundert des Heils I. pag. 213 sqq.

**) Petermann l. c. : „Hierauf (nach dem Tode des Taêb) wird die Erde noch einige Jahrhunderte bestehen bis das siebente Jahrtausend vollendet sein wird, nach dessen Verlauf das jüngste Gericht eintritt. Dann werden alle Todten auferstehen, die bis dahin Staub und nichts waren."

prout propositum a Deo restituendi Riḍhvâni finem aut juvant aut impediunt. Et quemadmodnm in V. T. libris historicis utriusque civitatis reges ex obsequio erga revelatam Dei voluntatem pensantur, ita in Abulfathi chronicis universi populi salus a legis observantia repetitur, res contra adversae justa rebellionis poena esse censentur. Pontifices autem tanquam praesentes Dei legati omni tempore foedus cum Deo initum procurant. Quare series eorum nunquam intermissa (الامامة المتصلة) alteram Riḍhvâni aetatem cum altera conjungit Deique populum per Panuthae tenebras ad restitutam beatitudinem deducit. Itaque Genesis librum imitatus, in quo patriarcharum aetates sequitur scriptor iisque omnes narrationes suas adaptat, ita Abulfathus pontificum seriem pro fundamento substravit historiae suae ac telae tramam quasi constituit, cui singulae narrationes subteminis instar inseruntur. Atque in Riḍhvani superioris aetate adumbranda praeter pontifices etiam regum series exhibetur. Per Panuthae autem saecula in una pontificum serie historiae fundamentum nititur. Quam ob causam Abulfathi chronica instituta esse ad historicam V. T. rationem et Genesis maxime exemplar, optimo jure statuendum nobis videtur. Quod scriptoris propositum etiam magis apparebit e temporum annorumque ordine, ad quem explicandum nunc aggredimur. De temporum ordine autem disserentes simul argumenti, quod in chronicis enarratur, capita praecipua proponemus.

V. DE SAMARITANO TEMPORUM ORDINE INQUISITIO CUM BREVI ARGUMENTI, QUOD HIS CHRONICIS CONTINETUR, ENARRATIONE.

Temporum annorumque ordo, quem secutus est Samaritani Pentateuchi scriptor, quemque fundamentum annalium

suorum esse voluit Abulfathus, a chronici initio fuse explicatur et vicissim ex Abulfathiana temporum ratione aliquid lucis accipere posse videtur. Samaritae enim aetatem, quae ab Adamo ad illam totius orbis terrarum eluvionem pertinet, 1307 annorum esse arbitrantur, Gen. 5, et inde usque ad Abrahami Harrano profectionem 1017 annos circumactos esse tradunt, Gen. 11, 10 sqq. cf. 12, 4. Quadringentos autem et triginta annos, qui inde sequuntur, non solum ad Israëlitarum in Aegypto mansionem sed etiam ad tempus existimant pertinere, quo populi proavi Abrahamus, Isaacus, Jacobus nomadum vitam in Palaestina egerint. Quae gravis Pentateuchi Samaritani ab exemplo Masorethico discrepantia partim a singulari annos computandi ratione pendebat, quae latius patet, cf. LXX. Exod. 12, 40; Gal. 3, 17, partim ad religionis decreta Samaritarum propria spectare videtur. Quod enim binas patriarcharum aetates ante orbis terrarum eluvionem et post eam, cum Masorethica annorum computatione comparatas, primam imminuerunt alteram auxerunt, ejus rei causa non solum ex eo repetenda est, quod spatia harum aetatum inter se aequare neque singulis patriarchis post eluvionem vitae spatia a superiorum aetate nimium abhorrentia attribuere volebant; sed haec temporum ratio dogmate de Messia et hujus mundi exitu innititur. Etenim si annis, quos hactenus enumeravimus, additur quadraginta annorum spatium, quo populus per desertum migrabat (1307 + 1017 + 430 + 40), Israëlitas anno 2794 post mundum conditum in Palaestinam pervenisse apparet, pag. 8, 12. Atqui populo post adventum in Palaestinam per ducentos sexaginta annos gratia divina permansit, pag. 37, 1. Quare quum Messias circiter annum mundi sexies millesimum venturus sit, Panutham, quae anno 3050 coepit (2794 + 260 = 3054), totidem annorum fore consequitur, quot primaevo Riḍhvani

tempori tribuuntur. Itaque sex millium annorum spatium, quod Messiae adventum antecedit, in duas partes dividitur, quarum altera Riḍhvano, altera Panuthae assignari debet. Ac Samaritae in hac temporum rudi sane computatione nihil curant annos, qui ad denarium numerum explendum aut desunt aut redundant, id quod multa docent exempla. Singulae autem aetates ita disponuntur, ut una ipsa pontificis morte finiatur, altera a pontificis deinceps secuti initiis nunquam fere a medio pontificis cujusdam tempore incipiat. Quae ratio clarior fiet magisque perspicua, si aetates expendamus, in quas Abulfathus Panuthae tempora divisit. Muhammedem *) enim anno post mundum creatum 5047 (5050) sive duobus millibus annorum post ortam Panutham extitisse tradunt. Medium autem locum inter Panutham et Muhammedem tenet Alexander, qui anno fere Panuthae 1046 sive 4100 annis post mundum conditum diem supremum obiit **), pag. 84, 3. 4. Itaque annorum spatium e chronologia Samaritana inter Alexandrum et Muhammedem interjectum cum rerum veritate paene convenit (325 a. Chr. + 622 p. Chr. = 947). Hac autem re inducti videntur esse Samaritae, ut tribus millibus annorum, quae ante Panutham esse fingunt, quinquaginta annorum additamentum subjicerent (3000 + 50), atque Alexandrum anno mundi 4100 non 4000, Muhammedem autem non anno 5000, sed 5050 ortum esse statuerent. Nam quinquaginta anni, qui ad mille annorum spatium

*) Haec de Muhammedis tempore sententia maxime vulgaris est apud Samaritas, cf. Scaliger, de emendatione temporum, Lugd. Bat. 1598, pag. 619. Alia opinio eaque minus vulgata in horum annalium codice A. profertur pag. 172, 18 adn.

**) In libro Josuae cap. XLVI. Alexandri origo ad annum mundi 3930 refertur, ex quo quanta sit Samaritici temporum ordinis inconstantia liquet.

inter Alexandrum et Muhammedem explendum desunt, ita compensantur, ut vero annorum numero inter utrumque intercedenti nihil quidquam detrahatur. Itaque Samaritarum in aetatibus digerendis hoc est consilium, ut Panuthae tempus in tres aetates distribuatur sive mille annorum spatia, quorum singulis peculiaris natura inest. Primam enim aetatem discidiorum (احزاب) et exiliorum (جلوات) nominare liceat. In secunda aetate Graecorum (الروم), in tertia Muslimorum vim maximam in Samaritas fuisse, nemo non intelligit. Qua de causa illam historiae Samaritanae aetatem Graecam, hanc autem Islamicam optimo jure appellamus.

Primae post Panutham aetatis (pag. 42—83) haec est indoles, ut schismatum et sectarum in populo sancto origo ad eam referatur, simulque plagae Israëlitis propter defectionem inflictae illo tempore gravissimae extiterint. — Nam schisma Judaicum inde ortum est, quod ʿElî e domo Ithamaris oriundus sibi assumsit pontificatum, qui unis Eleazari posteris impertiri poterat. Atque Siluntem abiens ille sanctissimum cultus divini locum montem Garizim deseruit. Eodem tempore gentes, postquam e Bileami libris cognoverunt, populum sanctum pessumdari non posse nisi praestigiarum spurcitie, Israëlitarum haud paucos ad falsorum deorum cultum pellexerunt. Hi primo ad loca مائة et مائتان devertentes postremo Firʿâtam pervenerunt, ubi mira Dei indulgentia impetrabant, ut „ad hunc usque diem“ pravis suis cupiditatibus indulgere possent. Itaque tempore Panutham proxime insecuto tres Israëlitarum factiones erant, pag. 39, 2 : populus Josephi et Pinhasi, qui sancte et fideliter Deum in monte Garizim colebat, schismatici Judaici, qui duce ʿElî Siluntem abierant, ac denique rebelles, qui Firʿâtae idola adorabant.

Graviorum errorum inter schismaticos auctor extitit Samuel pag. 42 sqq., qui simplex Levita et ex seditiosa Qorachi gente oriundus, cf. 1 Paral. 6, 22, postquam artem magicam didicit, propheticam dignitatem nactus est atque derelicta Silunte quibuscunque locis ipsi luberet sacrificia offerebat. Legitimi regis munus post Simsonis mortem defecerat. Quare Samuel pseudopropheta Saulum regem schismaticum creavit. Is populum verae religioni addictum omni vexationum genere torquebat et cultu divino in monte Garizim per viginti duos annos arcebat. Qui quum fortunam adversam amplius ferre nollent, alias sedes petere constituerunt. Quare quum magna populi fidelis pars peregre abiret, initium factum est migrationum et exiliorum, quibus Samaritae se paene deletos esse simulant. Nonnulli ex iis, qui migrationem susceperunt, anno Panuthae nonagesimo verum festorum ordinem commutarunt, jurati se ad veritatem redituros esse, simulatque Deus gratiam suam denuo in populum Israëliticum converterit, pag. 45, 13. At vero etsi populus ab illo tempore in varias partes distrahebatur, omnes tamen librorum sacrorum codicem eundem vitiis immunem ac litteris Samaritanis consignatum tenebant.

Saulo occiso, Davides majus etiam contra religionem crimen commisit, quum et vetita regibus munia sacerdotalia obiret, sacrificia et benedictionem populi, et aream Hierosolymitanam ad Qiblam designaret, cf. 2 Sam. 24, 18 sqq. Schismaticam enim foederis arcam una cum vitulo Hierosolyma detulit, cf. 2 Sam. 5. Davidis avia materna e Moabitis erat, quibuscum schismatici post ortum discidium se commiscuerant; ipse cum femina in matrimonium collocata, marito ejus interfecto, adulterium commisit. Nec minora morum corruptionis in domo Davidica erant indicia stuprum Tamari ab Amnone illatum, cf. 2 Sam. 13,

et Absalomi rebellio, cf. 2 Sam. 15. — Salomo, Davidis filius, anno regni quarto, uti falso colligitur e loco 1 Reg. 6, 37, absolvisse fertur templum, cujus fundamenta pater jecerat. Hoc autem tempore, anno duntaxat 185 Panuthae, Jairus gentis Samariticae pontificatum obtinebat, pag. 51, 14. Quem numerum Samaritae ita confecerunt, ut 480 annis quorum exitu Salomonis templum inceptum esse traditur, cf. 1 Reg. 6, 1; 2 Paral. 3, 2, Riḍhvâni in terra sancta et migrationis in deserto annos deducerent (480 — 260 — 40 + 4 = 184). Sed quamvis neque Davides neque Salomo magna apud Samaritas gratia floreant, attamen pluris aestimantur quam Saulus. Magnificentiam Salomonis et sapientiam ejus summis laudibus efferunt, omnesque tribus in ejus verba jurasse concedunt. Immo Davides priore vitae tempore, antequam Hierosolyma Qiblam constitueret, sacrificia decimas et oblationes ad montem Garizim pertulisse fertur. Uterque autem aliquam legitimi juris speciem inde nactus erat, quod Nabulusi, pag. 52, 3 cf. 1 Reg. 12, 1, apud populi principes, cf. Deut. 33, 5, reges creati erant. Post illos Rehabeamus animi duritie effecit, ut populi tribus obedire amplius nollent. Inde Judaeos inter et Samaritas perfectum et omnibus numeris absolutum et religionis et imperii discidium extitit.

Qui jam sequuntur Judaeorum reges, aut schismaticae religioni aut falsorum deorum cultui addicti, omni legitimae auctoritatis nota destituti sunt. Atque una cum regibus pseudoprophetae Judaeorum animos a vera religione avertebant; inter quos Eliam et Elisaeum acerrimis conviciis prosequuntur. Nec tamen apud tribus, quae Rehabeamo obedire recusabant, legitima regis auctoritas restituta est. Nam Jerobeamus a Salomone in Aegyptum profugus ibi ad falsorum deorum cultum se convertit atque post

regis mortem redux in patriam, quum Sebastiae rex constitutus esset, crudeliter in fideles Dei cultores saeviebat. Duos vitulos alterum Sebastiae alterum in oppido Dan adorandos populo proposuit. Quo praetextu Samaritae praecavent, ne cum regni Israëlitici regibus confundantur, quorum animi ad falsorum deorum cultum proclives saepius in V. T. libris perstringuntur. Neque, in oppido Bethel vitulum a Jerobeamo erectum esse, poterant concedere, quoniam Bethelis sive Luzae nomine, ubicunque in Pentateucho commemoratum est, altior montis Garizim vertex (جبعثه) ex illorum decreto significatur. Illo igitur Jerobeami tempore quatuor extiterunt populi Israëlitici partes, pag. 53, 10 : tribus enim, quae ʿElî tempore ortae erant, sectis Samaritis, Judaeis, et falsorum Deorum cultoribus jam accedebat quarta Jerobeami secta.

Tot universi populi peccatorum poenas denique insontes cum sontibus luere debuerunt. Instigantibus Samaritis Buchtnaççar (Nebukadnezar) Jumaqîmo regi contumaci bellum intulit eoque debellato Hierosolyma evertit. Tum Sebastiam profectus eam quoque urbem diruit. Ac denique Nabulusum veniens edictum promulgavit, ut Samaritae intra triginta dierum spatium in exilium migrarent. Itaque ʿAqbia pontifex, ʿUzzî proavi exemplum secutus, vasa sacra in secreto montis Garizim loco recondidit, magnum autem Pentateuchi codicem secum in exilium ablatum in „prato Ninives“ deposuit, pag. 60, 4. Samaritae inter multas lamentationes monti Garizim valedicentes Harranum et Edessam abierunt, Judaei Babylonem captivi abducti sunt. Terra sancta, per septuaginta annos, pag. 60, 8 cf. Jerem. 25, 11, populo sancto vacua, ab aliis gentibus occupata est.

Haec ingens populi calamitas anno post mundum creatum 3718 accidisse traditur, pag. 59, 2. Itaque Israëli-

tae, quum septuaginta annorum exitu in patriam terram redirent, anno mundi 3788 (3790) sive mille annis post populi ab Aegypto adventum (2794) captivitate liberati sunt. Hinc suspicio movetur, Samaritas olim in temporum ordine persequendo eam rationem iniisse, ut mille annorum spatia ad exilia et migrationes revocarent. Decem tribuum exilium Assyrium de industria neglexisse videntur, quamquam duas populi captivitates extitisse negare non poterant. Etenim septuaginta annorum exitu Sheraja pontifex atque populi principes in Palaestinam revertisse perhibentur, ut Deum in monte sacro adorarent, pag. 60, 10. Sherajam autem antecessit in pontificatu Hillel, qui ab exilii initiis per quadraginta annos muneri praeerat. Itaque Sheraja, ipse per quadraginta annos pontifex, anno pontificatus tricesimo revertit. Hunc excipiunt pontificatus Levi 50 annorum, Nathanaëlis 52 annorum, ʿAzarjae 30 annorum. Istum ʿAzarjam decimo pontificatus anno rex quidam Graecorum in terram longinquam Orientem versus sitam captivum abduxit, ubi natus est ei filius, quem ʿAbdelem nominavit, quod eum denuo in monte Garizim Deo serviturum esse sperabat p. 60, 13 sqq. Ac reapse ʿAbdel, per quadraginta annos pontifex, anno pontificatus tricesimo quinto a Sûrdî (سوردى) rege impetravit, ut cum populo in patriam terram reverti posset. Id secundum igitur exilium 120 annis (10 + 50 + 50 + 10) post Sherajae reditum accidisse videtur. ʿAbdel autem ex hoc calculo anno 175 post priorem reditum (120 + 20 + 35) sive anno 3965 post mundum conditum (3790 + 175) i. e. paulo ante circumactum quater millesimum annum ex Oriente rediit. Is populi ab exilio reditus secundus quum 135 annis ante Alexandrum fuerit (4100 — 3965) Ezrae et Nehemiae fere tempori convenit, quo Samaritas originem cepisse constat. Ex quo verae atque ignobilis suae originis

memoriam nunquam apud Samaritas extinctam esse colligimus. Quam quomodo cum antiquitatis vindiciis conciliaverint, jam porro inquiramus.

Etenim postquam regis edicto omnibus Israëlitis in patriam redeundi potestas est concessa, Samaritae ducibus 'Abdele pontifice et 'Uzzî filio Shim'ônis stirpis Josephi principe Harranum congregati sunt, i. e. in eandem urbem, e qua olim Abrahamus populi proavus terram sanctam petierat, Gen. 11, 32. Quo quum duce Zûrbîlo (Zerubabel) etiam Judaei venissent, coorta inter utrosque celeberrima de Qiblae veritate controversia Sanballâṭo Levitae (Horonitae Nehem. 2, 10) primam honoris adipiscendi occasionem praebuit, pag. 65 sqq. Hic enim sacros Judaeorum libros apud regem igne delevit. Sed ubi Zurbilus idem facinus in magnum Pentateuchi codicem a Pinhaso descriptum committere est ausus, hic liber integer de igne exsiluit. Quod miraculum regi de Samaritanae religionis veritate persuasit eumque, ut sacrificia ad montem Garizim deferri juberet, induxit. Samaritae in terram sanctam redeuntes barbaras gentes expulerunt ac, templo in monte Garizim restituto, Deo per hecatombas gratias egerunt. Sed quum pontifici per somnium revelatum esset, per Panuthae tempora sacrificia, quae Deo grata et accepta essent, offerri non posse, Samaritae a sacrificando destiterunt, pag. 72, 15. Ab exilio igitur sacrificia legitima cessarunt*) neque instaurari poterunt, antequam Messias gratiam divinam reduxerit.

Per annos inter exilium et Alexandrum interjectos

---

*) E recentiorum Samaritarum decretis sacrificia per Panuthae tempora quodammodo precatione ad Deum compensantur : Repertorium XIII. pag. 258, Notices et extraits XII. pag. 121. cf. Eisenmenger II. pag. 281.

Abulfathus eosdem fere Persarum reges extitisse tradit, qui in V. T. libris commemorantur. Post Kesram Sûrdî successorem rex extitisse fertur, cui per mirum errorem Zaradushti magi nomen inditur. Ac deinde sequuntur reges ʾAḥashvarush, ʾArtaḥast, Darius (دیروس). A Kesra (Cyro) p. 73 sqq. Judaeis Hierosolymorum aedificandorum potestas concessa est, cf. Ezra 1, 2 sqq. Illo fere tempore Samaritae, ne arcana sua a Judaeis investigari possent, litterarum Hebraicarum ordinem e ratione qabbalistica (Atbash) inverterunt, nec tamen ipsas litterarum formas immutarunt. Hoc igitur inverso litterarum ordine epistolam ad regem scripserunt adhortati eum, ut rebelles Judaeorum animos et ad omne seditionis genus proclives caveret, cf. Ezra 4, 7. Is quum eorum calumniis permotus Hierosolyma aedificari vetuisset, Judaei propter eam causam implacabili in Samaritas odio incensi, ne quidquam sibi cum illis commune esset, Ezra auctore, novas litterarum formas Hebraicas quadratas excogitarunt. Ac multos scripturae sacrae locos adulterantes capita potissimum de monte Garizim resecuerunt. Quo facto omne inter utrumque populum commercium sublatum est.

ʾAḥashvarush Judaeorum populo favens Hierosolyma aedificari jussit atque Judaeum quendam vazirum hoc est regni administrum assumsit, pag. 75 sq. Is perniciem Samaritarum molitus a regis uxore prohibitus est, quominus populum perderet cf. Esther 3, 8 sqq.; 7. — ʾArtaḥasht bellis contra Graecos gestis magnam gloriam consecutus est, pag. 76 sq. Illius tempore Persas invasit pestilentia. Cui ut mederetur quum Hippocrates magnis praemiis propositis a rege rogatus esset, venire noluit *).

*) Cf. Eutychii patriarchae Alexandrini annales interprete Edwardo Pocockio Oxonii 1658 I. p. 264.

Quare Harûnus medicus e Samaritis, qui exules in Orientis plagis restiterant, morbum sanare aggressus est magnamque inde apud regem gratiam iniit. — Darius rex, p. 78 sqq., filiam Samaritae cuidam pontificis filio nuptum dedit. Quae cum marito et liberis occisa est, quum visendi causa Neapolim venisset. Caedis auctores quum Babylonem aufugissent, Darius in eos, qui a scelere vacui et integri in patria remanserant, ferro ignique saevivit. Tum Samaritarum populum Judaeorum imperio subjecit atque post Hierosolyma aedificata Simonem Judaeorum regem constituit. Hujus vexationibus lacessiti Samaritae Hierosolyma adorti sunt atque muros urbis funditus everterunt. Sed belli temere suscepti poenas dederunt. Nam Darius Samaritas iterum in Judaeorum ditionem redegit iisque omni religionis cultu interdixit. Qua calamitate perculsi peregre migrarunt. Samaritarum alii mare ingressi, alii Babylonem profecti sunt. Alii vallem Kutham petierunt. Quocirca Judaei, ut Samaritis Israëlitarum nomen eriperent, eos appellarunt Kuthaeos. Post mortem Simonis quum filius ejus Hyrcanus (? عرقبيه) rex esset, Judaei protervi impudentia sua in caeterarum gentium odium irruerunt. Quam ob causam Samaritae post Hierosolyma deleta ab omnibus mundi plagis in patriam reversi Dei sacra in monte Garizim restituerunt.

Paulo ante Alexandrum in populo Samaritano haeretici extiterunt, qui verae religioni multis in rebus adversati Dosithei (دستاوى) appellantur, pag. 82 sq. Hi apud Samaritas easdem fere partes egisse videntur, quas Judaei Qara'itae etiamnum contra Rabbanitas sustinent. Auctor eorum Zar'ah propter effusas libidines a Samaritis fugatus Dositheorum sectam constituit *), atque disciplina eorum

*) Abulfathus igitur Dositheorum originem eidem fere aetati attribuit, qua Manasse Jaddu'ae frater a Judaeis in Samariam profugus San-

bene constituta pontifex apud eos creatus est. Inde Samaritarum pontifices ille acerrimo odio persecutus est.

In altera Panuthae aetate, sive mille annorum spatio inter Alexandrum et Muhammedem interjecto (pag. 83—172) accurata temporum ratio rerum narratarum multitudine aliquantum turbatur. Jesum Messiam natum esse anno Panuthae 1300 sive 4350 annos post mundum conditum, inter Samaritas constat. Quo calculo tempus, quod inter Alexandrum est et Jesum Christum (4350 — 4100 = 250) tanto extenuatur, quanto aetas inter Jesum et Muhammedem interjecta ultra justam mensuram augetur (5050 — 4350 = 700). Regnum Sassanidicum anno post Alexandrum 545 i. e. 4650 annis post mundum creatum effloruisse perhibent, id quod cum rerum veritate (320 a. Chr. + 226 p. Chr. = 546) paene convenit. Alia gravioris momenti, quae per hos mille annos accidisse Abulfathus tradit : bellum Judaeis Samaritisque ab Hadriano illatum, reipublicae Samaritanae disciplina Babae studio restituta, ac denique haeresis, quam Dusis commovit, initia, neque Panuthae annis neque secundum aeram mundi conditi definiuntur. Quibus temporibus Samaritae haec singula attribuerint, ex aliis vestigiis forte oblatis conficiamus oportet.

---

ballati filiam uxorem duxisse atque Samaritarum pontifex factus esse perhibetur; Joseph. Antiq. XI. 7, 2 cf. XIII. 9, 1. Notissima igitur inter hanc narrationem et locum Nehem. 13, 28 repugnantia apud eum ita expeditur, ut de Sanballati aetate sacrorum librorum auctoritatem sequatur, at profugi a sua religione ad alienam crimen a primo Samaritarum pontifice demolitus in Dositheorum auctorem conferat. Ac de hujus profugi aetate cum Josepho consentit. Haec igitur de Dositheorum antiquitate opinio plane commenticia est. Nec per se verisimile videtur, Dositheos originem cepisse primo saeculo, quo populus Samariticus existere coepit.

Quae de Alexandri rebus in his chronicis narrantur cum e Josepho repetita tum ex fabulis et incertis rumoribus de Alexandro in Oriente pervulgatis enata sunt *). Alexander Samaritarum perniciem moliebatur. At Hizqia pontifex, cum sacerdotibus et Levitis regi pompa solenni obviam veniens, non solum de populi perdendi consilio eum dejecit, sed etiam maximam ejus gratiam sibi conciliavit **). Postea Alexander trium dierum itinere terram tenebrarum invasit ac deinde solio aquilis sublato in aërem evectus quo loco in terram descendit urbem Alexandriam condidit. Regis edictum, ut statuae sibi apud Samaritas ponerentur, ita elusit pontifex, ut omnibus utriusque sexus infantibus Alexandri nomen inderet indeque se illi simulacra ratione praedita collocasse profiteretur. Alexander de montis Garizim sanctitate sibi persuasit. Quum autem contra Darium (دارا) proficisceretur, pontifex eum ad regis officia vitaeque artem instituit. Dario devicto, Alexander ab Antipa (Antipatro) ***) veneno necatus Babylone diem supremum obiit. Morti vicinus ille epistolam ad matrem conscripsit, quam Philemoni tradidit imperans, ut celata regis morte illico cum exercitu Alexandriam proficisceretur. Ibi philosophi ac sapientes, e quibus duo erant Samaritae, regem pro funere laudaverunt †). Epistola autem, quam

---

*) F. Spiegel, die Alexandersage bei den Orientalen, Leipzig 1851. Abulfeda, hist. anteisl. ed. Fleischer, pag. 77 sqq. cf. Juynboll ad lib. Jos. pag. 316 sqq.

**) Cf. Joseph. Antiq. XI. 8, 5. Haec tamen simulata Alexandri benevolentia non satis bene cum certa rerum memoria convenit, Joseph. Antiq. XI. 8, 6.

***) Annal. pag. 89, 15 lectio codicum C. D. انطيغس praeponenda est alteri انطيبنس, quae per errorem illuc irrepsit, cf. Joseph. Gorionides ed. Breithaupt, pag. 150, not. 1.

†) Cf. Eutychii ann. I. pag. 286 sqq. Caspari Grammatica Arabica, Lips. 1848, p. 294 sq.

brevi ante mortem ad matrem conscripserat, Alexander eximiae sapientiae specimen exhibuit.

Post Alexandri mortem Hizqia pontifex rempublicam Samaritanam bene administrare perrexit, pag. 92 sq. Simonem fratris filium, cui demandata erat Nabulusi praefectura, propter avaritiam acriter objurgat *). Ubique locorum sacerdotes hominesque pios constituit, qui rebus sacris et lectionibus sacrorum librorum praeessent. Arti poëticae prudenter prospicit. Illo tempore inventa est tetrasticha carminum Samaritanorum ratio **).

Successit ei in pontificatu Dalja, qui templi aerarium a Graecorum avaritia immune servavit. Nam rex Philippus Ptolemaeus (بطلميوس), quem Alexandri fratrem appellant, legatum (اورودوس) ***) misit, qui thesauros in templo Neapolitano reconditos sibi tradi juberet. Sed pontifex Alexandri diploma, e quo templi reditus in alendos sacerdotes, orphanos et viduas impendi deberent, per Ithamarem et Manassen ad illum detulit; quo conspecto rex templi despoliandi proposito destitit. Eodem tempore Aegypti rex Ptolemaeus (فلطمه) Samaritarum et Judaeorum aliquot seniores Alexandriam arcessivit, ubi suos utrique sacros libros Graece verterunt †), pag. 94 sq. Opere absoluto Samaritae apud regem suae religionis veritatem contra Judaeos disputando evicerunt ††) simulque legis Mosaicae aeternam veritatem a Graecorum leges immutandi et abrogandi libidine vindicarunt. Quibus

---

*) Cf. 2 Macc. 3, 4; Joseph. Antiq. XII. 4.

**) Cf. Gesenius, Carmina Samaritana pag. 9.

***) Heliodorum? 2 Macc. 3, 7. Haec universa rerum ac nominum confusio conferatur cum Eutychii annalium I. pag. 297.

†) Cf. Abulfeda hist. anteisl. pag. 54 sq.

††) Cf. Joseph. Antiq. XIII. 3, 4.

omnibus rex adeo est perculsus et attonitus, ut sacrificia ad montem Garizim deferri omnesque interfici juberet, qui hujus montis auctoritatem negare auderent.

Ab eo inde tempore Judaei in tres partes abierunt : Pharisaeos, Sadducaeos, Ḥasidaeos, pag. 102 sqq. Rex Joannes (يهوخانن), qui primo quidem Pharisaeis addictus erat, propter impudica Eleazari convicia ad Sadducaeorum partes transgressus Pharisaeos omni modo vexabat *). Idem Sebastiam expugnavit Samaritarumque multos trucidavit **). Sed Neapolim diu oppugnatam capere non potuit. Extremo vitae tempore rex, quum de religionis Samariticae veritate sibi persuadens sacrificia, decimas et oblationes ad montem Garizim deferri juberet, quominus ipse eo veniret, a Samaritis arcebatur.

Sequitur narratio de obitu Nathanaëlis pontificis, pag. 104 sq., qui litteris ante mortem ad matrem datis eam de sua morte deque universa rerum vanitate consolari studebat. In exequiis ejus Manasse fratris filius epicedium cecinit, quod Arabice versum in chronicis exhibetur. — Illam narrationem continuo excipit (Ptolemaei) Dionysii (ديوسيوس) memoria, pag. 105 sq. Hujus enim filia (uxor !) Cleopatra animo in Samaritas adeo propenso fuisse dicitur, ut filium mitteret, qui Samaritis contra Judaeos auxiliaretur ***). Sed confunduntur his enarratis duae ejusdem nominis reginae, ad quarum alteram, Cleopatram aetate posteriorem, referri debent, quae porro narrantur.

---

*) Cf. Joseph. Antiq. XIII. 10, 5. 6.

**) Cf. Joseph. Antiq. XIII. 10, 3 cf. 9, 1.

***) Quae hic de Cleopatra Dionysii uxore sunt tradita alteri Cleopatrae aetate superiori conveniunt, cujus filius Ptolemaeus Lathurus invita matre Samariam ab Joannis Hyrcani obsidione liberare conabatur : Joseph. Antiq. XIII. 10, 1. 2.

Haec enim Augusti metu perculsa Aegyptum muro a Nubia Alexandriam usque ducto munire studebat *). Sed ab Augusto devicta ipsa necem sibi conscivit. Augustus Palaestinae regem constituit Herodem pariter in Judaeos Samaritasque saevientem. — Anno Panuthae 1300 natus est Jesus Messias, pag. 107 sq., qui, postquam ab Joanne baptista in Jordane baptizatus est, propheticam dignitatem apud Christianos usurpavit. Joannes baptista ab Herode Sebastiae principe gladio interemtus, Jesus autem a Tiberii procuratore cruci suffixus est.

Quae deinde sequentibus annis usque ad Hadrianum gesta sunt, prorsus praetermittit Abulfathus, nisi quod memoriam quandam de Amrami pontificis filia huc refert, pag. 108 sqq. Quae licet cum iis, quae de Susanna in sacris libris, quos dicunt apocryphos, enarrantur, magnopere conveniat, non omni tamen ex parte commenticia videtur esse. Etenim duo homines religiosi, postquam per viginti quinque annos in montis Garizim vertice inferiore commorati pietati et abstinentiae operam dederunt, puellae pulchritudine ad pravas cupidines pellecti sunt. Sed pontificis filia, qua erat pietate, sceleratum eorum consilium ad irritum redegit. Quam ob causam illi, quo turpiter facti ignominiam effugerent, puellam adulterii cum viro alieno commissi accusarunt. Sed e dictorum discrepantia testium mendacia apparuerunt, atque uterque meritam capitis poenam persolvit.

Belli Judaici a Vespasiano gesti memoriam Samaritae de industria praeterire videntur. Hadriani aetas in libro Josuae **) ita definitur, ut ab orbe terrarum condito ad illius mortem 4513 annos septem menses

*) Cf. Eutych. annal. I. pag. 303.

**) Liber Josuae cap. XLVII. extrem.

praeteriisse statuatur. Ex hoc igitur calculo Hadrianus media secunda Panuthae aetate obiit. Abulfathus Hadriani aetatem certis limitibus circumscribere omisit; neque ea quae in chronicis hac de re proferuntur accurate inter se consentiunt, quia e diversis fontibus hausta sunt. Nam Hadriani in Palaestinam incursio ex altera narratione eaque principali pag. 113, 3 ʿAqbûno pontifice accidisse fertur, secundum alterum autem fontem pag. 118, 5 ad Levi pontificis tempora refertur. Atqui Jesus Messias extremo Johjaqimi tempore e Samaritana temporum ratione natus est, pag. 107, 7. Quodsi pontificum qui inde sequuntur anni computantur *), inter Jesum natum et Hadrianum mortuum aut 137 aut 202 annos interesse colligitur. Hadrianus igitur e temporum ratione quam Abulfathus sequitur aut anno Panuthae 1437 sive 4490 annis post mundum creatum aut anno Panuthae 1502 sive 4550 annis post orbem terrarum conditum diem supremum obiit. Harum computationum prior cum rerum veritate fere convenit neque a libri Josuae calculo nimium abhorret. Altera ad Commodum potius spectare videtur, licet cum vera ejus aetate non plane consentiat. Hujus enim tempore et Levi, pontifex ut videtur, extitit, et sacri Samaritarum libri sunt perditi, quorum jactura in Josuae libro ad Hadriani aetatem refertur. Quod igitur Hadrianus et Commodus imperatores, ʿAqbûn et Levi pontifices inter se confunduntur hoc a duplici narrationis genere proficisci videtur, quorum alterum Samariticae religionis decretis accommodatum est, alterum certam historiarum fidem sequitur.

---

*) Annal. pag. 177, 12 — 178, 2 cf. pag. 107. 108. 113. 118 post Johjaqimum hi pontifices enumerantur : Jonathan 27, Elishemaʿ 33, Shemaʿja 10, Tobia 8, ʿAmram 11, ʿAqûb 9, ʿAmram 9, ʿAqbûn 30; Pinhas 40, Levi 25.

Quae in chronicis de Hadriano narrantur pleraque omnia cum Josuae libro consentiunt. Quam ob causam de Ephraimo et Manasse Samaritis, reipublicae Judaicae proditoribus, de Hierosolymis ab Hadriano expugnatis deque colloquio ejus cum Judaeorum pontifice uberius explicare omittimus. Imperator in Judaeos crudeliter saevivit, sed Ephraimo et Manassi monumentum quatuor columnis fultum constituit atque illorum gratia Judaeorum rempublicam Samaritarum imperio subjecit. Sed quum aedem (Christianam nempe) in monte Garizim exstrueret, in qua templi Hierosolymitani portas aëneas constituit, Samaritae aegre ferentes, quod monachi Christiani terram sanctissimam cadaverum immunditie polluerent, aedem ab Hadriano exstructam concremarunt omnesque in ea homines ferro trucidarunt. Id facinus imperatori a Judaeis delatum tantam ejus iram commovit, ut Samaritarum populum excidere statueret neque a caede eorum desisteret, donec senex Samarita vitae periculum subiens illi de Judaeorum invidia deque pravis eorum ingeniis persuaderet.

Hadriano successit Antoninus, pag. 117 sq., qui quum totum se legis studio traderet animo erat in Samaritas mire benevolo. Hujus beneficentia populo per breve tempus eadem fere fortuna affulsit, qua Josuae sive Ridhvani aetate utebatur. — Sed Commodus pag. 118 sqq. majorem quam Hadrianus Samaritis molestiam facessivit. Religionis cultum vetuit, sacerdotes ac sapientes interfecit. Etenim contra Alexandrum Aphrodisiensem, qui mundum ab aeterno existere affirmabat, Levi Samarita (pontifex ?) mundum creatum esse peracutis argumentis comprobavit. Quae quum refutari non possent, Commodus furore inflammatus Samaritarum sapientes saevissimis tormentis cruciavit ac sacra populi scripta, chronica et

libros liturgicos igne perdidit *). Immensa rerum perturbatio deinde coorta ʿAqbûnum, illius temporis pontificem, coëgit, ut ad silvarum solitudines se reciperet. Commodus post imperium decem annorum interemtus est. Illo fere tempore Ardeshir Babek Sassanida Persarum in Oriente regnum instauravit, p. 122 sq. Duo e Samaritis in ʿIrâqum profecti diploma de gentis Samaritanae integritate ab eo impetrarunt. — ʿAqbûn pontifex paullatim e calamitatibus emergens rei familiaris jacturam sarsit. Post aliquot annos auctus est filio, Nathanaële, qui ejus in pontificatu successor fuit. Ac praemia et honores, quibus imperator (Septimius) Severus eum ad defectionem a religione illicere conabatur, animo constanti repudiavit.

Nathanaëlis tres fuerunt filii : Baba, ʿAqbûn, Pinhas, pag. 124 sqq. De horum natu maximo, qui postmodum Magni nomen accepit, Baba rabba, avus moribundus vaticinatus est, fore ut illius studio et ardore populi miseriae levarentur; nec tamen integram Riḍhvâni salutem ab eo restitutum iri. Itaque quum Romanorum imperator Alexander (Severus) populum urgeret, Baba gloriosum proavorum exemplum imitatus imperatoris milites duobus proeliis devicit. Ad hujus praeclari facti memoriam retinendam institutum manebat apud populum, ut septimi cujusque mensis die primo Samaritarum juvenes ignes in montibus facerent. Quum autem Baba de Arabibus Ismaëlitis victoriam reportaret, omnes Palaestinae incolae magnam ejus rei gratiam habuerunt. Sed aeque in toga atque in armis praestans erat Baba. Legis divinae studium apud Samaritas instauravit omnes-

*) In Josuae libri cap. XLVII. extr. haec librorum sacrorum jactura ad Hadriani aetatem refertur.

que populi ordines ad discenda Mosis praecepta compulit. Octo synagogas in terrae oppidis, majorem synagogam prope montem Garizim exstruxit. Ibidem propter purgationes ac lustrationes aquarum castellum condidit, quod bellorum sacrorum tempore etiamtum supererat. Optime autem Baba de republica melioribus legibus et institutis temperanda meruit. Sacerdotibus cultus divini ac magistratuum jura ademit, ut solius codicis sacri ministerium iis maneret. Omnibus Israëlitis, dummodo docti essent ac probi ad honores et sacros et civiles aditum patefecit. Qua de causa et circumcisionis jus aliaque cultus divini munia ad Israëlitas plebejos transtulit et summum septem virorum judicium constituit, cujus synedri promiscue sacerdotes et plebeji essent. Singulis oppidis duumviros praefecit alterum principem (رئيس), de plebe ortum publicae rei procuratorem, alterum sacerdotem, qui lectionibus sacris praeesset. Ab eo inde tempore pontificis (امام) et judicis (حاكم) appellatio non unis sacerdotibus tribuebatur, sed Israëlitarum unusquisque eam consequi poterat*). — Verum enimvero haec immutata rei publicae forma a Riḍhvâni institutis longe abhorrebat. Illo enim tempore septuaginta erant seniores (مشايخ), e quorum numero duodecim viri doctrina et morum integritate conspicui principes (روساء) creabantur. Horum duodecim principum unus, reliquos dignitate ante-

---

*) Haec causa videtur esse, ut pontificis, cui summa rerum sacrarum cura demandata est (الامام = כהן) et principum, qui antiquitus singulis gentibus praeerant (رئيس = נשיא), appellationes paullatim confusae sint. In his chronicis utriusque nominis discrimen nondum sublatum est, etsi saepius haec nomina inter se confunduntur. Recentiore tempore Samaritarum pontifex promiscue sive الامام الكبير sive الرئيس الجليل appellatur: cf. Notices et extraits XII. p. 73; Bargès, les Samaritains pag. 72.

cellens, populi jurisdictioni praeerat (الحاكم مع الامام الكبير). Unae sacerdotum et Levitarum causae a pontifice maximo disceptabantur. Hoc antiquum populi institutum Sebuaei retinebant, qui repudiata Babae auctoritate pontifici ab ipsis constituto obtemperabant. Ac nescio an Baba sacerdotes gradibus dejecerit, ut se ab omnibus domus pontificiae aemulis liberaret, ac genti quae fertur Aharonicae vel potius sibi ipsi populi principatum vindicaret. Ab eo enim tempore sacerdotes tabulas suas genealogicas non amplius curabant ipsique paullatim defecerunt. — Baba per totam vitam regis ac pontificis dignitatem apud Samaritas obtinebat. Ac tanta erant barbarae gentes invidia contra eum, ut Judaeos aliquot ad caedem ejus instigarent. Sed hostium machinae a muliere quadam Judaica detectae proditaeque in illorum detrimentum verterunt; unde eo magis aucta est Babae auctoritas. Illo fere tempore Gordianus (sic enim narrant) Judaeis concessit, ut Hierosolyma aedificarent. Quod inceptum ne perficeretur terrae motu aliisque portentis prohibitum est.

Hanc de Baba memoriam Abulfathus certam esse pronunciat. Quae scriptoris sententia, ut equidem opinor, in dubium vocari non potest. Sed aliae sequuntur de Baba narrationes pag. 139 sqq. quas, licet minus fide dignae essent, Abulfathus omittere noluit, ne quis ei mancam et imperfectam rerum cognitionem exprobraret. Baba Levi, fratris filium, Constantinopolim misit, ubi Christianorum sacris initiatus propter doctrinae et morum praestantiam denique ad episcopi dignitatem evectus est. Sed in pectore religioni patriae fidem servavit. Quare cum Graecorum exercitu et solenni episcopi pompa Nabulusum veniens populi liberandi occasionem egregie arripuit *).

*) Cf. Procopii historia arcana ed. Isambert cap. XXVII.

Milites monachosque Christianos insidiis aggressus trucidavit, avem ex aere factam magicam, quae Samaritas a monte Garizim arcebat, confregit, sacra Samaritana instauravit. Ad istam hostium caedem in hoc chronicon fonte refertur, quod etiamnum Samaritarum juvenes septimi cujusque mensis nova luna lignorum strues in summis montibus accendunt. Quum autem ingentes hostium copiae imminerent, Baba strategemate exercitus eorum fugavit.

Hactenus narratio de Baba, quam Abulfathus fide minus dignam esse censet. Extremo vitae tempore Baba ab imperatore Philippo (Arabe) vehementer rogatus Constantinopolim profectus est ibique per fraudem captus ad mortem usque detinebatur, pag. 145 sq. Filius ejus Levi, alius atque Levi fratris filius, qui patrem captivum et moribundum non deseruerat, redux in patriam repentina morte periit, pag. 147 sq.

Nathanaëli filius in pontificatu successit ʿAqbûn, Babae frater, pag. 148 sqq., qui judiciorum severitate hominum animos adeo exacerbabat, ut in suspicionem asperitatis in alienos, indulgentiae in propinquos vocaretur. Quare ut integritatem ejus tentarent, filiam stupri, quod cum ea habuisset Samarita quidam, accusarunt. Pontifex, inconsiderato studio ardens, filiam statim combussit. Sed mox rei veritate cognita a testibus improbis meritam capitis poenam expetivit. — Illo tempore Decius imperator crudeliter in Samaritas saevivit, pag. 149; nec minorem injuriam imperator Ṭahûs (Constantius?) populo intulit, quum circumcisione omnique cultu divino ei interdiceret, p. 150 sq. Itaque quum ʿAqbûno pontifici natus esset filius, pater haerebat incertus, quomodo infantem sine vitae periculo circumcidere posset. Sed Ġarmûnus imperatoris procurator, qua erat humanitate, parenti concessit, ut filium recentem a partu in occulta spelunca circumcideret. Quo beneficio

Ġarmûnus tantam laudem apud Samaritas consecutus est, ut nomen ejus precibus publicis additum per omne tempus in sacris contionibus audiretur.

Ad istam ʿAqbûni aetatem Abulfathus Dusim haeresis pravissimae apud Samaritas auctorem refert, pag. 151 sqq. Is propter varia crimina capitis damnatus Shuvaikae apud viduam quandam se abdidit. Quo quum venisset Levi, qui pontificis jussu cum septem viris eum persequebatur, non ipsum deprehenderunt hominem, sed libros ab eo conscriptos a vidua acceperunt. His libris pellecti simulque praestigiis effascinati viri, qui Dusim infeste insecuti erant, eum prophetica dignitate hominem esse sibi persuaserunt. Insequenti proxime paschae festo die Levi haereticae suae pravitatis virus propalam evomuit atque tumultu coorto a Samaritis lapidibus obrutus est (موسوية لوى).

Additur hoc loco de Simone mago narratio, pag. 157 sq. Nathanaëli, qui ʿAqbûno patri successerat in pontificatu, filius erat, cujus amore capta puella quaedam, quum frustra eum ad rem secum habendam illicere conata esset, denique de juvene desperans Simonem adiit et pontificis mandatum simulans ab eo petivit, ut filium parentibus minus obedientem veneficio et cantione necaret. At Simon illum tantummodo sopore morti consimili oppressit, cavens, ne commutato pontificis consilio filii ad vitam revocandi potestas deesset. — Cum Jesu discipulis Simon multum disputavit. Sed quum Philoni Judaeo, philosopho Alexandrino, exstirpandae Jesu disciplinae consilium proposuisset, ille divinam eam esse asseveravit negavitque Jesu instituta impugnari posse.

Dusis sectatores mox in diversas partes abierunt, quarum variae opiniones singulatim in chronicis describuntur, pag. 159 sqq. Ac Dusis asseclae etsi multis in rebus inter se dissident, in hoc uno omnes consentiunt,

quod, improbato religionis Samariticae fundamento de Mose unico Dei legato, alterum post eum prophetam sive plures fore arbitrantur. Principes disciplinae ad restituendum Riḍhvanum varia consilia inierunt, ita ut aut Dusi aut ipsi sibi prophetae a Mose praenunciati dignitatem attribuerent, unde maximae apud Samaritas turbae coortae sunt *). Ex dogmatis eorum diversi gentis mores manarunt et fluxerunt. Nam alii verecundia vel potius vitae austeritate excellebant, alii effrenata libidinum intemperantia efferebantur. Alii antiquum reipublicae Samaritanae statum servare, alii funditus eum evertere studebant. Sed aliquod cum religione Christiana commercium Dusis asseclis intercessisse, ob dogma de Dusis morte expiatoria p. 160, 10 sq. certum esse videtur.

Quae de Dusi ejusque asseclis in angustum collecta jam exposuimus in chronicis fusius explicata singulárem libellum efficiunt, pag. 151, 11 — 164, 11, Abulfathi annalibus additum. Istam autem Dusis haeresim arta necessitudine connexam esse cum Dositheorum secta, quam Abulfathus

---

*) Huc forsitan pertineant, quae apud Josephum, Antiq. XVIII. 4, 1. 2 leguntur, cf. Bell. Jud. III. 7, 32. Nec mirum videri possit, si Messiae apud Judaeos exspectatio Jesu Christi tempore ad fastigium evecta simile Samaritarum studium concitaverit. Omnium autem Samaritarum Dusis potissimum asseclas Chiliastarum instar ad restituendi Riḍhvâni spem inclinasse innumeris Abulfathi locis comprobatur. Quam ob causam Dosithei apud Shahrastanium (ed. Cureton, pag. 180) recte الالفانية appellantur, sive homines regnum mille annorum exspectantes. In explicando hoc vocabulo Juynboll ad lib. Jos. pag. 112 magno errore ductus esse videtur; qui الفانية corrigens hanc vocem repetit a radice لفا „jus imminuit“. Verum enimvero adjectivum الفانى a voce الف itidem derivatur, quemadmodum apud Samaritas Arabice loquentes vocabula نصرانى روحانى aliaque id genus formantur. — Vigente jam Islamismo duae tantum Samaritarum factiones supererant Kuthaei (كوثان) et Dosithei (دستان). Alia hujus generis nomina, quae apud Arabum scriptores compluribus locis reperiuntur, ex horum alterutro depravata sunt.

brevi ante Alexandrum extitisse tradit, cum nominum دوسيس et دستان similitudine tum inde comprobatur, quod Dusis asseclae eodem دستان nomine appellantur, quod Dositheis tribui solet, pag. 162, 14. Accedit, quod ritus ac dogmata a Dusi prolata pag. 157 sqq. simillima sunt eorum, quae Dositheis pag. 83 tribuuntur. Itaque una Dositheorum secta videtur esse, quae a communi apud Samaritas legem interpretandi ratione digressa primo quidem singulas ceremonias immutavit, deinde autem propter diversas de restituendo Riḍhvâno opiniones in varias sectas dissoluta est. Nec dubium videtur esse, quin Dusis omnium Dositheorum auctor idem sit, qui Dositheus apud ecclesiae patres appellatur *). Atque etiamsi Abulfathus istum haeresiarcham ad tertium p. Chr. saeculum refert, rectius tamen ejus aetatem significat, ubi Simonem magum et Philonem Alexandrinum illi fere aequales esse perhibet.

Sed ad enarrandum chronicorum argumentum redeamus. Nathanaëlis in pontificatu successor alter Eleazarus quum vita decederet duos filios et filiam Mariam reliquit, pag. 164, 11 sqq. Horum tutor pupillam post patris obitum filio suo in matrimonium tradere cupiebat. At Maria tutoris filium detestata ad propinquos in monte Karmel aufugit. Tutor Eleazari liberis per longum tempus patrimonium reddere nolebat. Sed imperatoris Balsamîs (Valentis?) edicto coactus est, ut omnia iis restitueret. — Mariae frater ʿAqbûn, postquam pontifex factus est, magnam synagogam aedificavit, ad quam templi Hierosolymitani portas aëneas e terra, ubi conditae erant, effossas adhibuit, pag. 166, 5 sqq. Controversia de portarum dominio inter pontificem et Palaestinae praefectum (episcopum?) orta

*) Epiphan. Opp. I. pag. 30, Photius, biblioth. ed. Bekkeri pag. 285, alii.

ita composita est, ut pontifex summam argenti solveret, unde mancipii jus ad eum deferretur. — Insequenti deinde tempore, quum Eleazarus pontifex esset, pag. 169 sq., Christiani Samaritas adegerunt, ut Josephi patriarchae sepulcrum aperirent. Quorum machinae quominus procederent, cum Samaritarum astutia tum insignibus miraculis et portentis impeditum est. Brevi post Samaritae aedem Christianam super Josephi ossibus exstructam funditus everterunt. Quo facinore universus populus gravem poenam sibi contraxit. Eleazarus pontifex in vincula conjectus, Samaritis aditu ad montem Garizim interdictum est. Imperator Tahîdîs (Theodosius?) populi miseriam levavit. At Marciano imperatore quum Caesareae praefectus patriarcharum sepulcra Samaritis adimere conaretur, tumultu excitato Samaritae exercitum contra Christianos eduxerunt remque armis transegissent, nisi melius visum esset, singulos ex utroque exercitu eligere Samaritam et Christianum, qui de sepulcrorum dominio inter se certamine singulari pugnarent. Samarita adversarium devicit, neque quisquam postea Samaritas de patriarcharum sepulcris deturbare iterum ausus est.

Gravem injuriam Zeno imperator populo intulit, pag. 170 sqq., quum Samaritas ad religionem Christianam convertendi studio incensus maximis suppliciis afficeret eos, qui voluntati suae repugnarent. Post mortem ejus rerum conditio magis etiam in pejus mutata est. Nam quum Palaestina Graecorum imperio subjecta neque bonis legibus temperata esset et male administrata, Graecorum praefectorum libidines et pravae cupiditates neque hominibus neque rebus parcebant.

Denique orbis terrarum dominatio a Graecis ad Muslimos translata est, pag. 173 sqq. Quem rerum eventum tres astrologi Samarita, Christianus, Ju-

daeus, qua erant coeli siderumque peritia, praesenserunt et, ut Muhammedi summum imperium acceptum gratularentur, in urbem ejus profecti sunt. Christianus et Judaeus Muhammedis superstitioni se dediderunt. At Samarita patriam religionem fideliter retinens omnibus pseudoprophetae illecebris fortiter restitit ac diploma nactus de Samaritanae gentis incolumitate laeto animo Nabulusum revertit. — Sequitur deinde partriarcharum et pontificum index, pag. 175, 12 — 178, 12, ab initio mundi ad Muhammedis aetatem repetitus.

VI. DE ANNALIS ABULFATHIANI ADDITAMENTIS.

Antequam Panuthae aetatem tertiam explicare aggrediamur, anquirendum nobis est, ad quod tempus Abulfathus rerum narrationem in chronicis continuaverit. Neque enim obsecutus est Pinhasi pontificis voluntati, ut populi historiam ab initio mundi ad novissima usque tempora sive ad mundi exitum describeret. Verum e Pentateucho ea tantum protulit, quae ad temporum ordinem stabiliendum facerent. Quodsi scriptor propheticos Samaritarum libros in suos usus convertere voluisset, annales continuare potuisset ad hujus mundi exitum sive ad restituti Riḍhvâni tempora, quae prope instare Samaritae tunc opinabantur. Nec tamen Abulfathus ambiguas de tempore futuro divinationes cum certa rerum praeteritarum narratione commiscere voluit.

Quinam horum annalium ambitus fuerit, facile jam e principalium codicum manuscriptorum conditione divinare possumus. E quibus codices B. D. Muhammedis tempore omnino finiuntur. Codicis C. additamenta, in quibus de rebus post Muhammedem gestis explicatur, a priore chronicon parte, ut quae gravioris momenti sit, librarii epilogo

dirimuntur. Sed omnis de horum annalium ambitu dubitatio tollitur, si pontificum indicem, qui in extremo libro repetitus est, consideres. Quod enim repetita est horum series, in qua universa temporum ratio nititur, id librum a scriptore perfectum et absolutum esse luculenter demonstrat. Et quemadmodum scriptor totum opus ab examinanda temporum ratione exorsus est, ita temporum ordine describendo librum absolvit. Accedit, quod Abulfathus in extremo libro post enumeratos iterum pontifices se chronica anno mundi 5803 sive Higrae 756 perscripsisse profitetur *), unde hunc librum eodem quo inceptus sit anno ad finem perductum esse colligitur. Neque Abulfathus in extremo pontificum indice annum, quo librum composuit, adnotasset, nisi scribendi finem facere voluisset. Ac denique Muhammedis in Samaritica temporum ratione tanta est auctoritas, ut in narratione de eo annales optime subsistant. Quae omnia nos adducunt, ut annalium librum ab ipso Abulfatho conscriptum Muhammedicae religionis primordia egressum non esse statuamus. Neque codicum A. C. additamenta hujus annalis scriptori tribuenda sunt.

Chronicon additamenta, quae extant in his libris manuscriptis, valde negligenter sunt scripta neque cum rerum gestarum expositione, quae libro ipso continetur, omni ex parte congruunt. Neque enim ipse Abulfathus haec additamenta, ut ubique cum suis narrationibus convenirent, retractare et corrigere potuit; ut in codicis C. additamentis

*) Ann. pag. 178, 10-12. Hanc codicis C. antiquissimi omnium lectionem primam et veram esse judicamus. Nam scriptor, postquam librum ad finem perduxit, jam opere perfecto initium ejus respicit cf. pag. 4, 13. Codicum B. D. verba ab antiquissimo librario quodam substituta esse conjicimus. Haec autem viros doctos induxerunt, ut in codice Bodlejano rerum narrationem ad annum H. 898 continuatam esse putarent, cf. supra pag. XXIII. adn. *

temporum spatia compluribus locis secundum Shemittarum annos definiuntur, quae ratio in antiquiore libro nunquam reperitur. E sermonis pravitate negligentique scriptionis genere equidem conjecerim, a librariis has narrationes exeuntibus libris adjectas esse. Sed libri, e quibus depromtae sunt, a scriptoribus rerum narratarum aequalibus compositi esse videntur. Nam rerum auctores, quippe qui rebus a se narratis ipsi interfuerint, persaepe prima persona loquuntur. Horum igitur additamentorum antiquissimi sunt fontes.

Librarii autem, qui codices A. C. scripserunt, in augendo et locupletando Abulfathi chronico tritam populi consuetudinem sequebantur. Etenim in Josuae quoque libro additamenta reperiuntur, quae ab ipso libri scriptore profecta esse non possunt. Hic enim liber in describenda Josuae vita vel potius adornando Samaritarum decreto de Riḍhvâni tempore versatur. Quare quae a capite ejus quadragesimo tertio vel quinto enarrantur ab instituto hujus libri aliena sunt. Atque narrationes de Buchtnaççaro, Alexandro, Hadriano Josuae libri partes esse non posse ex ipso libri titulo evincitur. Ut hoc enim utar, Abulfathus se eam de Baba narrationem, quae fabulis turbata sit, e vetere annali Hebraico petiisse ait, pag. 135, 5, etsi haec narratio ad verbum paene cum Arabico, quo utebatur, cf. pag. 5, 11, Josuae libro consentit. Unde colligi posse videtur, eam Abulfathi tempore Josuae libro nondum additam fuisse. Librarios autem fuisse, qui ad antiquum Josuae librum has narrationes adjicerent, jam inde colligitur, quod liber, qui nunc est, in media enunciatione desinit *), neque scriptor operae pretium esse duxit

*) Conferantur Josuae libri, qui editus est a Juynbollo, verba ultima cum Abulfathi annal. pag. 140, 13.

narrationem de iis rebus, quas addiderat, ad finem perducere. Libri Josuae additamenta cum iis, quae codicum A. C. scriptores annali Abulfathiano addiderunt, in hoc maxime conveniunt, quod utraque nullo modo inter se connexa et apta sunt.

Exponitur autem in primo additamentorum capite, quod in utroque codice A. C. legitur, quinam status Samaritarum sub 'Ummajadarum et primorum 'Abbasidarum imperio fuerit. Id caput, quia in eo emendando duo codices inter se conferri poterant, libro nostro, pag. 178—186, addendum esse censuimus, haud immemores, unicuique qui legeret facile sub oculos cadere deterius orationis genus. Principale ejus argumentum in enarranda Samaritarum concertatione de fastis positum est. Cui accedit narratio de annonae caritate, quae Harûni ar-Rashîdi tempore accidisse fertur. Quae praeter has res in codice A. reperiuntur ex recentissima Samaritarum historia petita sunt; atque quum supra in describendo codice adumbrata sint, hoc loco ea praetermittenda esse censuimus. Restat igitur, ut transscribamus pontificum indicem, quo codicis A. scriptor nomina deinceps enumeravit omnium, qui a Muhammedis tempore ad hanc usque aetatem Samaritarum pontificatum obtinuisse feruntur :

وهذه السلسلة من بعد قيام محمد كما ذكروا رضى الله عنهم العزر ثمنية عشر سنة عقبون ثلاثين سنة العزر ستة عشر سنة عقبون واحد وعشرين سنة العزر ستة وعشرين سنة شمعون سبعة عشر سنة لوى واحد وثلاثين سنة فينحس اثنى عشر سنة نثنال سنين (sic) بما احد عشر سنة العزر تسع سنين نثنال عشرين سنة العزر سبع سنين فينحس ثمن سنين نثنال خمسة وخمسين سنة عبدال ستة عشر سنة العزر خمسة وثلاثين سنة عبدال عشرين سنة العزر تسعة وعشرين سنة عبدال سبعة عشر سنة اهرن تسعة عشر سنة العزر ثمانية وثلاثين سنة اهرن اربعة عشر سنة صدقه اثنا عشر سنة عمرم تسعة وثلاثين سنة

اعرن اثنين وعشرين سنة عمرم ثمانية وعشرين سنة اعرن ستة وعشرين سنة نثنال تسعة عشر سنة بيا ثمانية عشر سنة عزى ثلاث سنين لوى سبعة سنين ايثمر ثمان واربعين سنة عمرم خمسة عشر سنة عزى اثنين وعشرين سنة يوسف تسعة عشر سنة فينحس ستة وخمسين سنة العزر خمسة وعشرين سنة فينحس ستة وخمسين سنة ابيشع اربعة وثلاثين سنة العزر ستة وثلاثين سنة فينحس واحد واربعين سنة العزر ثمانية واربعين سنة فينحس تسعة عشر سنة شلميه عشرة سنين صدقيه سبعة وعشرين سنة يسحق خمسة واربعين سنة ابرهيم اربعين سنة لوى عشرين سنة طوبيه خمسة وثلاثين سنه شلمه ثلاثين سنة عمرم ثلاثين سنة

Quinquaginta duo sunt pontifices, quorum tempora, si ultimum excipias ʿImrânum, qui adhuc in vivis est, 1270 annos efficiunt. Itaque Salâma ʿImrâni pater anno fere 1853 p. Chr. diem supremum obiit, id quod aliorum quoque auctoritate comprobatur. ʿImrânus ipse, quum a. H. 1274 hunc librum conscribebat, annum pontificatus quartum agebat. Triginta autem anni, per quos ʿImrânus se pontificatum obtinuisse profitetur, ab a. H. 1243 computari debent, cf. supra pag. VIII.

Hactenus codicis A. additamenta. Cum isto tamen pontificum indice non satis ubique consentiunt pontificum nomina, quae in codicis C. supplementis leguntur. Quae praeter primum horum additamentorum caput, quod libro a nobis edito addidimus, in codice C. reperiuntur tam corruptis litteris scripta sunt, ut verba Arabica typis exscribi et in lucem edi nequeant. Neque enim ausus sum librum, qui gravissimis scripturae vitiis laboraret et difficillimus esset intellectu, pro meo arbitrio emendare emendatumque edere. Sed quae his codicis C. additamentis continentur maximam partem dignissima sunt, quae memoriae prodantur. Haec igitur ad summam redacta jam breviter enarramus.

ʿAbbâsidarum regimen grave et molestum erat Samaritis. Chalifae orthodoxi dum in omnes Muslimos, qui a suae religionis decretis dissidebant et abhorrebant, saeviunt, ne Samaritis quidem pepercerunt. Quo factum est, ut magna populi pars miseria oppressi in exilium migraret. Alii mercede pellecti Islamicam religionem amplexi sunt. Accedebant mala in Orientis plagis vulgaria : fames, locustae, pestilentia. Quae omnia Samaritis non obstabant, quin ipsi Dositheos, ut qui pravas opiniones in suam religionem invexissent, diro odio persequerentur. — Maximus ex Harûni filiis Muhammedes (al-'Amîn), postquam anno mundi 5239 imperium suscepit, omni turpium libidinum genere mox in hominum contemptionem adductus haereticorum rebellium animos coërcere non poterat. Nam hi Samaritarum oppidis Zaitâ, Sâlim, 'Arsûf potiti synagogas concremabant ac populum omnibus modis vexabant. Brevi postquam Chalîfa occisus est (a. H. 198), locustarum examina Palaestinam invaserunt, unde gravis annonae caritas orta est. Nabulusi praefectus Masrûr ibn 'Abî ʿAmir, quum Samaritarum miseriam levare studeret, ob eam causam a Muslimis interfectus est. Ac tantus erat mortuorum numerus, ut cadaverum multitudine terra immunda fieret. Morum verecundia sublata est. Sacerdotis filia stuprum passa a plebe defensa est neque poena in lege Mosaica constituta, ut igni cremaretur, ab ea petita est. Sed ubi Deus populum his malis liberavit, una omnes ad gratias Deo agendas in montem Garizim adscenderunt ibique sacra fecerunt. — Anno mundi 5250 jussu ʿAbdallae (Ma'mûni) Châlid ibn Jazîd cum exercitu in Palaestinam profectus rebelles fugavit. Quadriennio post ʿAbdalla ibn Ṭâhir cum ingenti exercitu in Palaestinam venit et Samaritas a Muslimorum rebellium et haereticorum vexationibus per breve tempus liberavit. Post expugnatam

Emesam Naçrum rebellium ducem vinculis adstrictum Bagdâdum misit. At simulatque ʿAbdalla in Aegyptum abiit, Samaritae iterum in angustias adducti sunt. Ibn Farâsa, rebellis contra Chalîfae auctoritatem, atrocissimis suppliciis eos adigebat, ut Islamicam religionem amplecterentur. Haud pauci malis confecti voluntati ejus obtemperabant. Sed plurimi, ne patriam religionem desererent, peregre abierunt. Hierichuntis praefectus a rebellibus occiditur. Quam ob causam ipse Chalîfa cum exercitu Palaestinam ingressus proelio eos devicit. ʾIbrahîm, Ma'muni frater, oppido Baitgibrîn expugnato rebellium duces capit. Anno mundi 5264 sive Higrae 217 Ma'mûn Damascum imperii sedem constituit et circum ubique arces in terra subvertere coepit, ne rebelles iis potiti diutius repugnare possent. Castellum in monte Garizim a Zenone excitatum illo tempore eversum est. Sed adversariis devictis Ma'mûn terram nimis onerabat vectigalibus et tributis, quae ʾAbû-ʾlgarûd imperii praefectus ab omnibus Palaestinae incolis inhumane exigebat. — Post obitum Ma'mûni frater ejus ʾIbrahîm (al-Muʿtaçim)*) per novem annos (H. 218—227) imperium obtinebat. Haeretici continuo tumultus excitabant et Nabuluso potiti urbem diripuerunt, Samaritarum et Dositheorum synagogas concremarunt. Sed duo ʾIbrahîmi duces Çâliḥ et Gafar rebellium copias in valle Gaib fuderunt. Illo tempore Nathanaël, qui per quinquaginta annos pontificatum gesserat, diem supremum obiit atque illatus est sepulcro Johjaqimi filii, qui pontificatus successor designatus ante patrem vita decesserat. Muslimi haeretici ac rebelles

*) Proprium hujus Chalîfae nomen est ʾAbû ʾIsḥâq Muḥammad cf. Abulfeda, Ann. mosl. II. pag. 166. Ejus nomen cum ʾIbrahîmo Ma'mûni patruo, per breve tempus Chalîfatus aemulo, confundi videtur.

Samaritas tunc vexare non poterant. Sed tributorum oneribus multi compellebantur, ut bona sua venderent. Nec tamen quisquam Samarita hujus temporis angustiis semet adduci passus est, ut patria religione deserta Islamismum amplecteretur. Principes Pinḥas filius Nathanaëlis et Duratha (دراثه) synagogam Neapolitanam per superiora bella dirutam totam lapide exstruxerunt. Extremo Ibrahîmi Chalîfae tempore 'Abûḥarb, tumultu in Palaestina moto, Nabulusum cepit incolasque fugavit. Pontifex dum fugit grave vulnus accipit atque Hebronem transportatus animam efflavit. Neque gravis haec miseria Samaritas prohibuit, quin suis connubio et commercio cum Dositheis interdicerent, id quod hisce verbis describitur : واسسبى ملك اسراييل قطع عهد بين يدى 𐤔𐤌𐤓𐤉𐤌 على السامرة انهم لا ياكلوا مع الدستان ولا يشربوا ولا يتزوجوا منهم ولا يزوجهم Rebellionem ab Ibrahîmo paene oppressam filius ejus et in Chalîfatu successor Harûn (al-Vathîq) plane sedavit. Samaritae ab exilio in patriam redierunt et ad gratias Deo agendas in montem Garizim ascenderunt. Sed ille Chalîfa se alienae religionis sectatoribus inimicissimum praebuit, quum Christianos tintinnabula (ناقوس) ad precationum tempora indicanda adhibere vetaret. Majorem inimicitiam in homines religioni Muhammedicae non addictos frater ejus Ġafar (al-Mutavakkil) exercebat. Qui, postquam anno mundi 5280 successit, Nathanaëlis sepulcrum destruxit ac legem tulit de vestium coloribus, quibus religionis alienae asseclae a Muhammedanis distinguerentur *). Ġafar eo furoris progressus est, ut Samaritis omni cultu divino interdiceret. Sed Jûsuf ibn Dâsî Palaestinae imperator (سلطان) populi patrocinium suscipiens Samaritis

*) Cf. Weil, Geschichte der Kalifen II. pag. 353.

montem Garizim adeundi potestatem concessit, Dositheos autem ab omni cultu sacro prohibuit. Quare hi de morte ejus summo gaudio exsultarunt. Post obitum Pinhasi principis populi principatum obtinuit ʿAbdel, cujus tempore ingentes miseriarum tempestates excitatae sunt : terrae motus, fames, venti ferventes. Multi tunc patriam religionem deseruerunt. — Post narrationem de Ġafari imperio magnae sunt horum additamentorum lacunae. Quae in ultimo eorum capite traduntur ad annum H. 297 pertinent, quo ingentia locustarum examina gravem annonae caritatem effecerunt. Illo fere tempore sacerdos Samaritanus satrapis Aegyptiaci servo (مملوك) a gravi morbo sanato magnam universo populo gratiam apud Aegypti praefectum comparavit. Ultimus, cujus in chronicon additamentis fit mentio, Raḍhi *) Chalîfa († H. 329) praefectos de Palaestinae imperio digladiantes coërcere non poterat. Rebellis, cui ابن طغج erat nomen, rerum potitus crudeliter in Samaritas saeviebat. Sacerdos Samaritanus كنداش nomine perfide ad eum detulit nomina eorum, qui rei familiaris copia abundarent. — Ac Raḍhi potestate Chalîfae ad principem principum (امير الامراء) delata Chalîfatum jam pridem labefactatum plane perdidit. Quare post narrationem de eo chronica et formula doxologica et secundo librarii epilogo recte absolvi videntur.

Haec fere sunt, quae in codicis C. additamentis enarrantur. De ulterioribus Samaritarum fatis nihil compertum habemus praeter ea, quae viri in Oriente peregrinati aut Arabum scriptores interdum in libris suis prodiderunt. Codicis A. additamenta, ut supra exposuimus, a. H. 1173

*) Is Chalîfa falso in chronicis ʿAbdalla nominatur. Verum ejus nomen erat ʾAbû-ʾlʿAbbâs ʾAḥmad, cf. Weil, Geschichte der Kalifen II. p. 540.

(inc. $\frac{25}{8}$ 1759) incipiunt. Nec tamen desperandum est, fore ut aliquando rerum per hos octingentos annos apud Samaritas gestarum memoria ad nos perveniat. Nam in Abulfathi codice, qui etiamnum apud gentis Samaritanae pontificem extat, sive in aliis id genus libris historicis equidem narrationes harum, quas modo adumbravi, simillimas contineri puto. E quibus accuratiora de Dositheis, quando et quomodo defecerint, fortasse cognosci poterunt.

Ad temporum ordinem autem ut redeamus, post enarratas Samaritarum res jam superest, ut brevem temporum conspectum proponamus :

	Anno Panuthae	Anno mundi conditi
Orbis terrarum eluvio		1307
Abrahami Harrano profectio		2324
Populi in terram sanctam adventus		*2794*
Gratia divina amittitur (Panutha) .	1	3050
Primitiva dierum festorum ratio mutatur .	90	3140
Templum Salomonis exstructum	185	3235
Populi ab exilio reditus	*740*	*3790*
Reditus ab exilio secundo (Ezra)	915	3965
Alexander moritur	1040	4100
Jesus Christus nascitur	1300	4350
Hadrianus moritur	1463	4513
Sassanidae imperium capessunt	1600	4650
Muhammedis fuga	2000	5050
Annus hujus chronici compositi	*2750*	*5803*
Messiae (Taheb) adventus	2950	6000
Messias moritur	3060	6110

VII. QUA FIDE ABULFATHUS IN ANNALIBUS COMPONENDIS USUS SIT.

De historica horum chronicon indole disputaturi inter universam operis materiam atque rationem, qua Abulfathus hanc materiam digessit, distinguamus oportet. Quaecunque enim in his annalibus enarrantur ex antiquioribus Samaritarum libris petita sunt; neque scriptor de suo quidquam addidit, nisi quod narrationes inter se connexuit connexasque omnes, quantum fieri poterat, suo loquendi genere protulit et enarravit. Non scriptoris sed populi sunt de rebus divinis opiniones et temporum ordines, ad quos Abulfathus librum suum composuit. Quam ob causam argumento, quod in his chronicis tractatur, quae fuerit saeculo post Christum quarto decimo historica Samaritarum ratio et universa populi indoles, cognosci posse vidētur. Abulfathus autem, quum libri sui materiam e fontibus haustam eligeret, disponeret, enarraret, expertus videtur esse, quid scriptor Samaritanus in componendis Arabicis historiarum libris posset.

Argumentum in his chronicis tractatum magnis lacunis interrumpitur. Rerum per saecula gestarum memoria neglecta est; atque interdum quae terrarum orbem agitaverant ne verbo quidem tanguntur. Exilium Assyrium atque Hierosolyma a Tito eversa dedita opera negligi videntur. Imperatorum Romanorum perpauci, serie eorum varie interrupta, commemorantur. Post Augustum et Tiberium primus Hadrianus est, cujus fit mentio. Ac deinde de Antonino, Commodo, Septimio Severo, Alexandro Severo, Gordiano, Philippo Arabe, Decio explicatur. Quorum nomina praeter hos pro certo cognosci potuerunt, imperatores Byzantini sunt Marcianus et Zeno. Inter utrosque medii imperatores commemorantur, quorum nomina Con-

stantio, Valenti, Theodosio convenire, probabiliter conjecimus. Plurima igitur in his chronicis enarrata de rebus imperatorum Romanorum tempore gestis ad saecula p. Chr. tertium et quintum spectant. Quae tempora Samaritarum populo reapse gravissima fuisse videntur. Narrationes de rebus gestis per centum et plus annos inter Zenonem et Muhammedem interjectos omnino desunt. Sed calamitatum Samaritis a Justiniano inflictarum memoria interdum ad narrationes aut superiores aut posteriores translata videtur esse. — Ad has lacunas accedunt graves errores, quibus vera temporum et locorum ratio obscuratur. Quod Zerubabelem et Ezram aequales esse Samaritae fingunt, quod Hadrianum aedem Christianam in monte Garizim aedificasse eoque monachos Christianos deduxisse perhibent, quod Philippus Arabs Constantinopoli sedem imperii habuisse, atque Gordianus Judaeos impulisse fertur, ut Hierosolyma exstruerent, haec omnia a communi Samaritarum consuetudine proficiscuntur, ut quae temporis posterioris sint ea ad tempus longe superius transferant. Longum est, omnes hujus generis errores singulatim recensere. Nam inanis antiquitatis studium Samaritas induxit, ut in amplificanda populi historia etiam leviores res corrumperent.

De hisce vitiis, licet per se spectata magnopere vituperari debeant, clementius judicemus. Neque enim praestantia hujus libri in eo posita videtur, ut quae aliunde cognita habemus Samaritarum auctoritate stabiliantur. Sed verum annalium commodum in hoc maxime versatur, ut quae sit populi de rebus in mundo gestis sententia, et quomodo de sua ad eas ratione Samaritae cogitaverint inde intelligatur. Haud abs re tamen fore arbitror, si de historica annalium fide disputantes jam inquiramus, quae narrationes continua rerum memoria apud ipsum populum traditae et propagatae sint, et quas

narrationes Samaritae ab aliorum populorum libris petierint. Atqui quaecunque his chronicis continentur ad Samaritarum de rebus divinis opiniones accommodata sunt. Abulfathi liber fabula absolvitur de pactione inter Muhammedem et gentem Samaritanam inita; unde ne extremos quidem annales commentorum expertes esse colligitur. Atque fucatam esse narrationem luculentius apparet, si Abulfathianus liber cum codicum A. C. additamentis comparetur. In his enim nudo tristique orationis genere enarrantur res, quas misero populo accidisse minus in dubio ponendum quam dolendum videtur esse. Nec tamen ob eam causam omnes narrationes tanquam commenticias repudiare possumus. Etenim nonnulla a Nehemiae sive ab Alexandri tempore Samaritarum sermone posteris tradita posse his chronicis contineri, per se negari non potest. Quae tamen suspicio magnopere refellitur, si narrationem de Alexandro Muslimorum fabulis refertam esse expendimus. Qua de causa equidem pro veris habere dubitaverim, quae de Hizqia tunc pontifice deque artis poëticae, illo praeside, initiis enarrata sunt. Etiam quinque post Alexandrum saeculorum memoria non apud ipsos Samaritas tradita sed ab aliorum populorum libris petita est. Samaritae aperte ignorant res, quas populo eorum per ea tempora accidisse certi auctores tradunt. Quod Herodes uxorem habuit Samaritanam, quod de urbe Samaria egregie meritus est, ne verbo quidem tangitur. Abulfathi de Herode judicium Judaicum potius auctorem redolet. Antoninum Samaritae summis laudibus efferunt, quamquam is imperator, uti traditur apud Justinum Martyrem, circumcisionis jus, quod Judaeis concesserat, populo Samaritico reddere nolebat *). — Verum quae de rebus

*) Cf. Bargès, les Samaritains pag. 99, Basnage histoire des

ab exeunte fere saeculo secundo p. Chr. gestis in his chronicis exposita sunt, magna ex parte memoria apud ipsos Samaritas tradita inniti videntur. Quare haud scio an fide digna sint, quae de Commodi et Septimii Severi in Samaritas saevitia commemorantur *). Narrata de Baba, qui medio post Christum saeculo tertio floruisse traditur, magis etiam ad historiarum veritatem accedunt. Fide enim dignissima est memoria de instaurata per illum Samaritarum re publica. Nec plane commenticiam esse de Garmuni animo generoso narrationem, ipsa docet formula, qua nomen ejus publicis Samaritarum precibus additum est. Quae de Dusi referuntur, licet fabulis interdum contaminata sint, maximam tamen partem historicam fidem prae se ferunt. Quae de dogmatis ejus proponuntur universae religionis Samariticae indoli praeclare conveniunt. Narrationes deinde usque ad exitum libri secutae eae sunt, in quibus e fabulis historiarum veritas tanquam nucleus e nuce facile erui queat. Quam ob causam haec mihi stat sententia, ut majorem partem eorum, quae de rebus gestis ab ineunte saeculo post Christum tertio in his chronicis enarrantur, continua Samaritarum memoria traditam esse credam. Immo quae de populi dogmatis et sectis compluribus locis proferuntur ex antiquiore memoria pendere conjecerim.

Sed longe plurima, quae in his chronicis enarrantur, Samaritae ex aliorum populorum libris petita in suum commodum converterunt. Inter quos primum locum Judaei obtinent. Dira universi populi in Judaeos invidia non

---

Juifs II. 1, pag. 132. — Ipsum tamen Justini locum, quo haec enarrentur, in operibus ejus reperire non potui.

*) Cf. Hieronym. chronica Eusebii ed. Scaliger pag. 172. Orosius, histor. VII. 17.

obstabat, quin singulis eorum cum Judaeis commercium intercederet, p. 138, 4. 5; 147, 1, atque Samaritae Judaeorum libros in suos usus converterent. Narrationes Alexandro superiores plerasque omnes Samaritae mutuati sunt ex iisdem V. T. libris, quos pro divinis habere nolunt. Nomina regum, quos per Riḍhvâni aetatem imperium exercuisse fabulantur, pag. 33, 5 — 34, 2, mirum in modum e judicum Israëlitarum nominibus depravata sunt. Etiam pontificum nomina plurima e V. T. libris petita sunt *). Narrationes de bellis a Josua gestis pag. 9 sqq. e V. T. libro Josuae depromptae sunt. Quae de Davide, Salomone, Rehabeamo, aliis exponuntur ad V. T. libros historicos referri debent. — Rerum ab Alexandro ad Hadrianum usque gestarum memoriam Samaritae e posterioribus Judaeorum libris Josepho maxime et V. T. libris quos dicunt apocryphos petierunt. Ac Talmudica et Midrashica Judaeorum scripta haud sibi ignota esse, Samaritae et ipsi declarant, pag. 151, 16, et frequentiore eorum usu ostendunt. Quae magnam sane vim in animos eorum exercuerunt. Decreta enim de tribus angelis, qui Israëlitarum populo patrocinantur **), deque peccatorum gravium (كبابير) et levium (للخطايا الصغار) discrimine ***) ex hisce Judaeorum libris petita sunt. Ejusdem farinae est fabula de Hadriani colloquio cum Judaeorum pontifice †). Alia hujus generis,

*) Annal. pag. 36, 14-16 cf. 1 Paralip. 5, 30. 31. Plurima autem pontificum antiquiorum nomina e Judaeorum libris petita esse, luculentius apparet, si pontificum index qui est in extremis chronicis pag. 176 sqq. comparetur cum Judaeorum pontificum nominibus apud Josephum aut in libro Seder olam, ed. Joh. Meyer Amstelod. 1699; cf. Petavius, Rationarium temporum Colon. 1720, III. pag. 8 sq. Reland, Antiqq. Hebr. Lips. 1724, pag. 144 sqq.

**) Annal. pag. 21, 6, cf. Eisenmenger II. pag. 393.

***) Annal. pag. 31, cf. Wetstein ad Matth. 5, 19; 23, 23.

†) Annal. pag. 115, 5, cf. Juynboll ad lib. Jos. pag. 331.

quae plurima sunt, hoc loco enumerare supersedemus. Nam universa Samaritarum de religione doctrina Judaicae quasi imitatio est.

Abulfathus se Graecae linguae ignarum esse ipse profitetur. Sed quaeritur, num fontium, e quibus sua hausit, auctores hujus linguae periti Graecorum libris in describendis rebus usi sint. Sermo Graecus in quotidiana Samaritarum vita nunquam adeo videtur invaluisse, ut linguae Aramaicae usus tolleretur, cf. pag. 150, 15. Memoria autem rerum per Graecam aetatem a Samaritis gestarum libris Samaritano-Hebraica dialecto conscriptis ad Abulfathum pervenit. Nec tamen desunt indicia, e quibus Graecos libros in posteriorum Samaritarum usu fuisse colligi posse videtur. Aliquot nomina, quae in his chronicis inveniuntur, non Samaritanam aut Arabicam sed Graecam scribendi rationem referunt: Joannis baptistae nomen pag. 108, 1 يحنس non يحيى aut יוחנן scribitur. Jacobus apostolus pag. 107, 12 يعقونس non يعقوب et Simon magus interdum in codicibus non شمعون (quae tamen scriptura frequentior est) sed سيمون appellatur. Ludicra etymologica de Cleopatrae pag. 105, 17 atque Caesaris pag. 106, 7 nominibus non possunt intelligi nisi ab eo, qui Graeci sermonis atque adeo Latini peritus est. — Sed eae ipsae chronicorum partes, quae ad Graecos fontes referri queant, ad verbum paene cum Eutychii patriarchae Alexandrini annalibus consentiunt. Alia, quae huc vocari possint, similiter narrata apud Shahrastanium *), Abulfedam aliosque Arabum scriptores reperiuntur. Haec omnia igitur diu apud Arabes pervulgata erant, priusquam ad Samaritas pervenirent.

Quanta autem Arabum in Samaritas fuerit vis et

*) Annal. pag. 119 sq. cf. Shahrastani ed. Cureton, pag. 47 sq.

auctoritas, non opus est nos fusius explicare. Linguae Arabicae usu submota est apud populum lingua Samaritana, quam ab eo inde tempore docti tantummodo homines intelligebant. Quo factum est, ut ad religionis notiones exprimendas Islamicas formulas adhiberent et alia multa a Muhammedanis mutuarentur. Pontifices suos, Mosi videlicet cognatos, eodem dominorum (السادة) nomine exornant, quod apud Muslimos Muhammedis posteris ejusque cognatis inditur. Argumenta e philosophia petita, quibus Samaritae religionis suae veritatem defendunt, pag. 100 sqq.; 119 sqq. scholasticam Arabum in docendo rationem referunt. Alia ejusdem rei exempla multa in promptu sunt *). Qua de causa mirandum non est, quod narrationes e Graecorum libris repetitae intercedentibus Arabum scriptoribus ad Samaritas pervenerunt. Rerum memoria apud Josephum tradita per Josephum Gorionidem ad Arabes et ab his ad Samaritas delata esse videtur. Quae de Hippocrate pag. 77, 3, de Claudio Ptolemaeo pag. 118, 10, deque Alexandro Aphrodisiensi pag. 119, 2 in his chronicis narrantur Samaritae ab Arabum scriptoribus acceperunt. Atque, ut taceam fabulas de Alexandro per universas Orientis regiones vulgatas, ne V. T. quidem narrationes apud Samaritas liberae ab Arabum commentis servari poterant **). Quibus omnibus inducimur, ut narrationes exeunte saeculo p. Chr. secundo superiores sive plurima eorum, quae Samaritae memoria a majoribus tradita non acceperunt, e libris aut Judaeorum aut Arabum repetita esse statuamus.

Narrationes autem in Judaeorum et Arabum libris satis adulteratas aut fabulas ab iisdem populis repetitas Samaritae, quum ad religionis suae decreta eas compo-

*) Cf. Juynboll ad lib. Jos. pag. 66 sqq.; 108 sqq.

**) Annal. pag. 50, 5, cf. Sur. 34, 11 sq.

nerent, magis etiam corruperunt. Neque in hac re acquierunt. Multas addiderunt fabulas a se excogitatas, quibus vanam populi gloriam amplificarent. Plane commenticia sunt quae de templo a Josua in monte Garizim exstructo, quae de antiquissimis populi migrationibus et exiliis narrantur. Nec melius existimandum est de statuis animatis, pag. 86, quas simulantes Samaritae se idolorum cultum callide effugisse gloriantur. Ex eodem genere sunt fabulae de Haruno medico Samaritano, qui Persarum populum a pestilentia sanasse traditur, pag. 77, deque Darii filia pontificis Samaritani filio in matrimonium data, p. 78. Quae de gigantibus enarrantur ac de bellis a Josua iisdem illatis, pag. 16 sqq., originem a Pentateuchi locis mirum in modum amplificatis duxerunt. Nec pauca commenta, quoniam e locorum nominibus deducta sunt, equidem fabulas geographicas appellaverim. Fabula de Shaubako Kanaanitarum rege, pag. 16, 16, a vico ejusdem nominis repetita est. Similiter fabulis occasionem dederunt loca مائتان مائة فرعتا pag. 37, et دار الرئيس pag. 55, 4. Quae Samaritae de Ephraimo et Manasse apud Hadrianum summis honoribus affectis memoriae produnt, e monumento quodam Romanorum, pag. 112, 12, parum intellecto effecisse videntur. Ejusdem originis est fabula de aede Christiana Constantinopoli in Babae sepulcro exstructa, pag. 147, 5.

Haec autem historiarum veritatem fabulis obscurandi libido etiam in eo conspicitur, quod Samaritae singulas narrationes de rebus, quae semel tantum accidisse videntur, binas faciunt paulo inter se differentes. Hujusmodi geminatarum ejusdem rei narrationum exempla sunt quae de Hierosolymis a Buchtnaççaro pag. 56 sqq. et ab Hadriano pag. 114 sqq. expugnatis, quae de pontificum ʿAmrâmi pag. 109 sqq. et ʿAqbûni pag. 148 sqq. filiabus in stupri suspicionem vocatis, quae de Samaritarum

contra Judaeos disputationibus apud Sûrdî pag. 65 sqq. et Ptolemaeum pag. 95 sqq. in his chronicis leguntur. Longimani nomen praeter Artaḥashtum pag. 76, 16 etiam Ardeshiro pag. 122, 7 attribuitur. Quae de Joanne Hyrcano apud Josephum commemorantur Samaritae duobus hominibus tribuunt, quorum alter عرقيه pag. 81, 10, alter يهوخانان pag. 102, 16 appellatur. Ptolemaei nomen, ut diversis hominibus tribui possit, modo بطلميوس modo فلطمه scribitur. Darii nominis tres faciunt formas دارا سوردى دبيروس, quarum utraque posterior soli Dario Codomanno convenire potest. In his tamen Ptolemaei et Darii nominibus depravandis Samaritae Arabes auctores secuti sunt. Nomina pontificum, qui per Riḍhvani tempus extitisse feruntur يحقى شيشى, Panuthae initio iterantur, pag. 176, 10. 13. 14. Quae nomina iterandi consuetudo in pontificum indice saepius reperiri videtur. Haec igitur singulas res binas faciendi ratio Samaritis maximo adjumento erat, ut longa saeculorum spatia, de quibus nulla omnino memoria apud eos supererat, commentis suis implerent.

Universa autem Samaritarum ratio historica ad duo fundamenta revocari potest, e quibus et sententia eorum de se aliisque populis, et quomodo in hos se gesserint, explicari posse videtur. Nam Samaritae primo se verum et electum Dei populum esse ajunt, ac deinde sibi ob eam causam orbis terrarum dominationem deberi contendunt. Itaque duo sunt adversarii, quibuscum iis negotium est : Judaei et gentes imperio praeditae. Sed valde dissimilis est sentiendi agendique via, quam in utroque adversario tractando ineunt. Judaeos populi electi aemulos diro odio persequuntur, neque maledicendi iis occasionem unquam dimittunt. Tota haec chronica una fere in eo versantur, ut non Judaeos sed Samaritas electum Dei populum esse demonstretur. Longe aliter Samaritae

agunt cum gentibus exteris, quarum in ditione sunt. Harum benevolentiam, quantum fieri potest, humilibus et submissis animis sibi comparare studeant. Quandocunque terrarum domini in eo erant, ut Samariticae religioni injuriam inferrent, Samaritae aut blanditiis eos ad aequitatis jura revocare aut invidiam eorum in Judaeos convertere conabantur. Foedera fingunt, quae cum terrarum dominis Alexandro pag. 94, 5, Ardeshiro pag. 123, 3, Muhammede pag. 174, 10 a se facta esse gloriantur. Ac duumviri plerumque sunt, qui dignitatis pontificiae et regiae apud Samaritas quasi legati populi causam apud terrarum dominos agunt : Jûmâqîm et Jûçadaq, pag. 75, 8, 'Ithamar et Manasse pag. 94, 4, Ephraim et Manasse pag. 113 sqq., 'Achîrad et Jûsuf pag. 122, 10. Haec tamen adulatio non obstabat, quin regibus potentissimis Samaritae repugnarent, quotiescunque sacris suis ab illis injuriam inferri viderent. Cujus rei cum in his chronicis tum apud Graecorum scriptores multa documenta extant.

Neque enim quisquam Samaritas adeo despicatui ducere poterit, ut eos miro quodam legis Mosaicae patriaeque religionis amore teneri infitietur. Atque mala gravissima propter religionem suam perferentes illi admiratione nostra dignos sese praestant. Verae pietatis indicia etiam haberi possunt precationes ad Deum, quae interdum in annalibus leguntur : pag. 75, 12 sqq.; 110, 9 sqq.; 127, 1 sqq. Sed propria ingenii voluntas continua temporum miseria apud Samaritas adeo oppressa est, ut miranda naturae ac morum diversitas in eodem populo reperiatur. Sententiae morales, quibus illi omnem sapientiam comprehendi arbitrantur, in commendanda calliditate positae sunt ac ne Jesu Siracidae quidem indolem religiosam adaequant. E chronicon horum narratione, pag. 87 sq., Hizqia pontifex Alexandrum regem adhortatus esse dicitur, ut hostes quoquo

modo circumveniret doloque caperet. Idem pontifex longa oratione sententiis exornata, pag. 92 sq., Simoni fratris filio explicat, quanto commodo ei futurum esset, si abjectis hujus mundi deliciis solam religionem resque divinas curare vellet. Ac dissuadent Samaritae, ne quis in luctu sit propter propinquorum mortem, quoniam et nimius luctus ingenii alacritatem auferat, neque communis omnium hominum fragilitas vitaeque brevitas immutari queat. Haec fere summa est testamentorum, quibus Alexander rex pag. 90 sq. et Nathanaël pontifex pag. 104, 14 sqq. matres de morte sua consolati esse feruntur. Itaque fieri non poterat, quin Samaritis solum quid utile esset cogitantibus honesti ac decori sensus quodammodo evanesceret. Etenim calumnias, quibus Judaeos pessumdare studebant, tanquam praeclare facta ostentant; ac ne mendacia quidem verentur, pag. 118, 7 sqq., ubi de aemulorum pernicie agitur. Itaque populi ingenium in contrarias partes distractum tum optimae tum pessimae voluntatis documenta exhibuit. Lege Mosaica Samaritae ad ultimum bonorum finem sive ad probitatem ac morum integritatem compellebantur. At temporum aerumnis agitati sese malis artibus defendere non dubitabant. Apud hujus temporis Samaritas miseria et mendicitate omnis vitae honestae sensus paene exstinctus est. Sed ne hi quidem pertinacem legis Mosaicae observantiam dereliquerunt.

VIII. QUA RATIONE ABULFATHUS FONTIBUS SUIS IN CHRONICIS COMPONENDIS USUS SIT.

Magnas narrationis lacunas mendaque, quibus contra temporum ordinem peccatur, non omni ex parte Abulfatho tribuenda esse censeo. Nam ille quanquam fontes in brevius contrahere et nomina Graeca a se minus intellecta

omittere instituit, pag. 5, 2, integram tamen rerum narrationem tradere studet atque binas de eadem re narrationes proferre quam levis ac parum diligentis scriptoris vituperationem pati mavult, pag. 139, 4. Quascunque igitur rerum narrationes Samaritae saeculo p. Chr. quarto decimo compertas habebant, eas in his chronicis collectas et propositas esse verisimillimum est. Neque uni scriptori applicanda est manca rerum cognitio, cujus defectus in universum populum cadit. Haec autem turbata et vitiosa fontium conditio effecit, ut Abulfathus varias narrationes e variis libris petitas non ubique inter se connectere posset. Ac saepius ab altera re ad alteram transiens non animadvertisse videtur, quanto utraque temporis intervallo distineatur. Insigne hujus negligentiae exemplum pagina 104, 11 reperitur, qua de morte Nathanaëlis Abulfathus exponere aggreditur, etsi ne verbo quidem antea hujus pontificis mentionem fecit. Atqui pontifex proxime superior in annalibus commemoratur Dalja pag. 94, inter quem et Nathanaëlem quinque pontifices medios esse, e pontificum indice pag. 177, 10-12 colligitur. Horum igitur tempora Abulfathus omnino describere praetermisit. In hac autem chronicon parte orationis contextus saepius turbatus est, cf. pag. 102, 4; 105, 16. Sed in reliquis etiam hujus libri partibus orationis minus connexae inter seque aptae exempla extant. E quibus hoc unum attulisse sufficiat, quod continuo Nathanaëlem Zenonis aequalem secutus esse traditur Eleazarus pontifex, pag. 172, 14, cujus tempore orta esset Muhammedis religio.

Alia hujus annalis, quae minus comprobari queant, communia sunt apud orientales annalium scriptores. Quod leviores res copiose enarrantur, et contra quae gravioris momenti videntur esse paucis verbis conficiuntur, hoc nemo admiratur, qui historicam Arabum rationem cognitam habet.

Ac scriptor ipse se excusat, sicubi narrationes protulit, quae longius a proposito suo abhorrere videntur, p. 92, 8. 9. Haec autem si omittimus, Abulfathus praestitisse videtur quae in annalis prooemio promisit. Ingentem certe materiam oratione sua coarctavit et refersit. Quaecunque ex operis sui fontibus hausit, quantum poterat, bene disposita ad religionis suae decreta adaptavit. Ac denique rerum narrationem non eleganti nitidoque sed plano et simplici orationis genere proposuit; id quod magis etiam intelligitur, si dilucidum horum chronicon sermonem, qui unus est per totum librum, comparemus cum negligenti saepiusque obscuro loquendi genere, quod in chronicon additamentis reperitur.

Abulfathus veram linguae Arabicae elegantiam nunquam assecutus satis tamen in ea versatus est, ut paronomasias orationi suae interponere possit : الملال من غير اخلال pag. 5, 3, فرح او ترح pag. 28, 4, العاجلة والاجلة pag. 28, 13, ما نهبت ربث ولبث pag. 57, 12, الساطعة والقاطعة pag. 101, 13, وما نقبت pag. 167, 16. — Universum tamen scribendi genus colore Samaritano imbutum saepissime loquendi formulas exhibet Pentateucho proprias, quae tritae videlicet Samaritarum usu non disertis verbis ad sacros libros referuntur. Quarum praecipuae hae fere sint : وهو مجتمع الى قومه sive عند اضافته الى قومه pag. 34, 14. 15 cf. Gen. 25, 28; 49, 33 cet., هروب السيف pag. 120, 15 cf. Lev. 26, 36, ثمروا وكثروا pag. 134, 10 cf. Gen. 1, 28 cet., بيد شديدة sive بيد قوية pag. 135, 7. 16 cf. Exod. 3, 19 cet., ربوات الوف pag. 135, 10; 144, 3 cf. Num. 10, 36, ولم يعلموا بنزوله ولا بطلوعه pag. 142, 16 cf. Gen. 19, 33, اصلاح الطريق pag. 26, 15 cf. Gen. 24, 56, محوا اسمهم pag. 143, 11. 12 cf. Deut. 29, 19, بعد ذلك كله pag. 145, 3. 4 cf. Gen. 15, 1; 20, 8, مسكن بيد pag. 146, 1 cf. Gen. 21, 18, الامر لله pag. 150, 12 cf. Gen. 24, 50. Immo

loquendi genera interdum reperiuntur, quae quum in Pentateucho non inveniantur e posterioribus V. T. libris petitae videntur esse : وابطل طرقهم ممن يسلك فيها pag. 44, 6 cf. Jud. 5, 6; Jes. 33, 8, الجميع من الله وهو لله pag. 121, 15 cf. Hiob 1, 21. Is Abulfathiani sermonis color Hebraicus in iis potissimum chronicon partibus obtinet, quas e fontibus Hebraicis petitas esse aut constat pro certo aut verisimillimum est.

Abulfathus in alia chronicon parte alia nomina ad eandem rem describendam adhibuit. Quorum varietas rarius e scriptoris arbitrio, saepius e fontium, e quibus hausit, discrimine pendere videtur. — 1. Samaritarum populus hisce nominibus appellatur : السامرة (sing. سامرى), الحافظين, الشعب, القوم, جماعة القوم, البيت المقدس, ال اسرائل, بنو اسرائل (גוים). Sed pluralis الشعوب (גוים) gentes ethnicas significat. — 2. Legis divinae sunt nomina الشريعة المقدسة, الشرع, الشريف, التوراة, محكم الشريعة, محكم التنزيل; vocibus مدرج الكتاب الكبير, الكتاب العزيز, الكتاب الشريف, السفر, الشريعة aut ipsa lex intelligitur aut legis Mosaicae exemplum, quod ab Abishua descriptum esse simulant. — 3. Pontifex plerumque الامام sive الامام الكبير nominatur. Interdum autem nomen الرئيس, quod propriae tribus principem significat, pag. 64, 8; 94, 4 cet., etiam pontifici tribuitur pag. 112, 10 sqq., p. 150 sqq.*). — 4. Montis Garizim praeter proprium nomen جرزيزيم, quod Arabice جبل الفرائض explicatur, haec sunt cognomina : الجبل المقدس, الجبل الشريف, جبل القدس, جبل البركة, الجبل المفضل; nomina جبعثه, طور شريف, طور بريك, etsi proprie altiorem hujus montis verticem denotant, etiam ad totum montem significandum adhiberi videntur. — 5. Palaestinae haec sunt nomina: الارض المقدسة, فلسطين, ارض كنعان. — 6. Hierosolyma appellantur ويروشلم, ايليا, القدس, بيت المقدس. E postremo hoc

*) Cf. pag. LXVIII. not. *.

nomine depravatum est ·ש̈ב̈ע̈ש̈ב̈ע̈ ·ע̈מ̈ב̈*), quo convicio Samaritae similem contumeliam referunt a Judaeis sibi illatam, cf. Ev. Jo. 4, 5, Sirac. 50, 27.

E vario harum vocum usu nonnunquam fontium discrimen cognosci posse videtur. Quod in altera narrationum de Hierosolymis a Buchtnaççaro et ab Hadriano expugnatis ipsa urbs ايليا pag. 56, 1. 4 hypogeum ejus سرأديت pag. 56, 5 nominatur, in altera autem narratione ad easdem notiones significandas nomina القدس pag. 113, 7; 114, 4 et دهاليز pag. 114, 5; 115, 3 adhibentur, hac re utramque narrationem non ex eodem fonte fluxisse efficitur. Nec vero ubique certa sunt sermonis indicia, e quibus dignosci queant diversi chronicon fontes. Quorum scribendi genus in suam dicendi rationem tam bene transformavit scriptor, ut fontium loquendi formulae disperse solummodo ex Abulfathiana oratione pelluceant. Quam ob causam ea tantum pro certis statuere possumus, quae ipse Abulfathus de fontium usu disertis verbis profitetur. Subsidiorum autem, quae in chronicon exordio enumerat, praeter Josuae librum nihil cognitum habemus. Pontificum tantum nomina consentaneum est e catenae libro deprompta esse. Quae reliquorum subsidiorum ad haec chronica sit ratio, in dubio relinquamus oportet. Neque enim Abulfathus accuratiora de his libris exposuit, neque exploratum habemus, quae annalium partes ad singulos eorum referri debeant. Ac tantummodo ubi duae de eadem re narrationes e diversis fontibus petitae proferuntur, de scriptoris ex hisce fontibus librum conscribendi ratione judicare possumus.

In describenda Josuae et Riḍhvâni aetate Abulfathus Josuae qui fertur libro usus quae fuse et confuse in eo

*) Annal. pag. 43, 14 cf. Epistolae Sichemitarum ad Ludolfum, Cizae 1688 pag. 7 et 25. Cellarius, Collectanea hist. Sam. pag. 10.

narrantur in breve coacta plane et perspicue proposuit. Neque quidquam eorum, quae memoratu digna hoc libro continentur, in Abulfathi annali desideratur. Longas precationes, carmina epistolasque, quae insunt in illo libro, hic scriptor aut plane omisit aut in angustum collectas narrationi suae addidit, cf. pag. 21, 14. Multa autem apposuit, quae male omissa sunt in Josuae libro, uti narrationem de populi strage post Hierichuntem expugnatam *) et quae de sacerdotum et Levitarum ministeriis pag. 32 uberius explicantur **). Quare haud scio an in illustrando populi statu antiquissimo praeter Josuae librum alia subsidia adhibuerit. Praeter narrationes de Alexandro, de Hadriano, ac de Baba maximam partem ex Josuae libro sive e fontibus ejus petitas Abulfathus in his annalibus de iisdem viris narrationes protulit, quae magis ad historiarum veritatem accedunt. Quod enim binae ejusdem rei narrationes in hoc libro nonnunquam reperiuntur, e diversis fontibus petitae, id duplex historiarum genus apud Samaritas extitisse ostendit, alterum fabularum plenum secundum vanam populi sententiam de sua auctoritate exornatum, alterum certum ac fidum, quod cum historiarum veritate plerumque consentiat. Atqui Josuae libro nihil fere nisi fabulae continentur. Sed Abulfathus inter utrumque historiarum genus aut verbis disertis pag. 139, 5 aut tacite, pag. 16, 12; 118, 5 distinguit atque veram historiarum fidem, ubicunque potest, vanis fabulis anteponit. De quibus autem rebus certi quid statuere non audet, pag. 120, 5, eas fontium auctoritatem diligenter secutus lectoris arbitrio permittit.

*) Annal. pag. 12, V. T. Jos. 7, 2 sqq. cf. lib. Jos. cap. XVII. XVIII.

**) Cf. lib. Jos. cap. XXXVIII.

Sed propria scriptoris in his annalibus componendis ratio etiam conspicua est in Pentateuchi locis, quos orationi suae interposuit. Quum enim Pentateuchi verba proferat aut Hebraica aut in Arabicum sermonem conversa, fontium exemplum secutus videtur esse. Longe plurimis locis Abulfathus Pentateuchi Samaritanum exemplum sequitur, praesertim ubi religionis suae decreta librorum sacrorum auctoritate firmare instituit, pag. 65 sqq.; 97 sqq. Hi vero Pentateuchi loci interdum orationem Samaritanam praebent meliorem ea, quae in Bibliis polyglottis Londinensibus legitur. Rariora sunt interpretationis Arabicae exempla, quae pag. 59 potissimum et dispersa interdum per librum inveniuntur. Neque Abulfathus aut fontium auctores, quum Pentateuchi verba in Arabicum sermonem versa proferrent, Saadjae, quem Judaei Fajjumensis nomine Samaritae derident, auctoritatem sequi poterant. Interpretationis tamen Saadjanae olim apud Samaritas usitatae vestigia in chronicis adhuc apparent*). Sed plurimi loci, qui Arabice his chronicis interponuntur, ad 'Abûsa'îdi**) interpretationem referri debent. Cujus rei documentum sit locus Lev. 26, 32, qui pag. 61, 10 legitur :

Abulf. : واوحش انا الارض فيستوحشوا عليها اعداوكم السكان فيها

Abusaid : واوحش الارض فيستوحشوا عليها اعداوكم السكان فيها

Saadja : واوحش البلد منكم ويستوحشون اعداوكم المقيمين به

---

*) Tentorium sacrum, plerumque المشكن appellatum, in hoc libro etiam Saadjae verbis خباء المحضر denotatur, pag. 65, 12 cf. Juynboll ad lib. Jos. pag. 90, not. 3. Nec tamen alterum ejus nomen قبة الزمان Abusaido usitatum huic libro deest, cf. pag. 143, 1.

**) Liber Genesis secundum Arabicam Pentateuchi Samaritani versionem ab Abusaido conscriptam, ed. A. Kuenen Lugd. Bat. 1851. 8. Libri Exodi et Levitici L. B. 1854. 8. — Varias hujus interpretationis particulas edidit Sacyus in : Mémoires de l'Académie des Inscriptions tom. XLIX. pag. 150 sqq.

Aliud ejusdem rei exemplum, pag. 59, 6, praebet locus Deut. 28, 64 :

Abulf. : ويبددك الله فى كل الشعوب من طرف الارض والى طرف الارض

Abusaid*) : ويبددك الله فى كل الشعوب من طرف الارض والى طرف الارض

Saadja : ويبددك الله فيما بين الشعوب من طرف الارض والى طرفها

Perpauca extant vestigia, e quibus Abulfathi tempore aliam praeter Abusaidi interpretationem in Samaritarum usu fuisse colligi posse videtur. Singulare hujus rei exemplum pag. 169, 11 locus est Gen. 49, 26, cujus verba, etsi propius ad Abusaidum accedunt quam ad Saadjam, ab utroque tamen satis longe abhorrent :

Abulf. : شاهد شهوات قلعة الامم تكون للرئيس يوسف

Abusaid : حتى شهوة اشمخ العالم تكون للرئيس يوسف

Saadja : والى ما اشتهى يفاع الدهر ويكون للجميع على راس يوسف

Haec Abulfathi ab Abusaido discrepantia repeti queat a quadam scriptoris libidine, qui quum pro voce Hebraica עַד legeret עֵד, id agere videtur, ut de castello a gentibus in monte Garizim exstructo vaticinium patriarchae verbis obtrudat. Neque haec Abulfathi verba ad ʾAbû'lbarakâti **) interpretationis Abusaidicae recensionem referri queunt, quoniam cum variis ejus lectionibus, quas accurate adnotavit Sacyus ***), omnino non conveniunt. Meliore forsitan jure id fieri possit in loco Lev. 21, 25 sq., qui pag. 185, 1. 2 in additamentis hujus annalis legitur :

Ab. addit: وتصيروا فى يدى اعدايكم عند كسرى قوى (قوت ?) للخبز

Abusaid : وتجعلون بيد العدو عند كسرى لكم قضيب الغذاء

Saadja : وتسلمون بيد العدو واكسر لكم معونة الطعام

Gravis profecto horum interpretum discrepantia non obstat,

---

*) Cf. Juynboll, ad lib. Jos. pag. 313 not. i.

**) de Sacy in : Mémoires de l'Acad. XLIX. pag. 21. 29; cf. Orientalia edd. Juynboll, Roorda, Weijers tom. II. pag. 155.

***) Mémoires de l'Acad. l. c. pag. 196.

quin interpretationis Abusaidicae vestigia in additamenti Abulfathiani verbis inesse cognoscamus. Nec tamen pro certo dijudicare ac decidere audemus, num origo eorum ab Abulbarakati recensione repeti debeat, quum hujus exemplum ipsi introspicere non possimus.

IX. DE SCRIPTORIS DICENDI GENERE ET NOSTRAE EDITIONIS RATIONE.

In edendo scriptore Arabico e gente Samaritarum longe aliam rationem ineundam esse atque in emendandis indigenarum Arabum libris quilibet in his rebus versatus facile concedit. Neque enim id agere debemus, ut ad usitata grammaticorum praecepta scriptoris oratio revocetur, id quod multo facilius plerumque fuisset; sed examinandum est proprium loquendi genus, quo ille a consueto elegantique linguae Arabicae usu aberrat. Ac diligenter servari debent ipsi barbarismi ac soloecismi, quos scriptori non librariis tribuendos esse constat. Qua de causa nobis peropportune accidit, quod in edendis Abulfathi chronicis compluribus codicibus uti potuimus, quorum alius alio corrigeretur. Neque erat, cur innumerabilia vitia servaremus, quibus librarii orationem stolide depravarunt; quemadmodum Juynboll facere debebat, quum Josuae librum ex uno Scaligeri codice ederet. Etenim eos tantum soloecismos servandos esse censuimus, quos omnium sive plurimorum codicum testimonio firmari ac saepius iterumque a scriptore commissos esse invenimus. Sicubi in antiquioribus codicibus forma vere Arabica, in recentioribus autem ejusdem loco barbarismus extaret, hunc semper rejecimus. Quo factum est, ut Abulfathi liber, uti nos eum ad criticam rationem exegimus, facilior sit ad legendum et magis ad veram linguae Arabicae indolem accedat quam particulae

ejus tempore superiore editae. Nihilo secius tantum abest, ut Abulfathi oratio incorruptam sermonis integritatem servet, ut non Arabica sed e Samaritana et Arabica dialecto mixta appellari debeat.

Codices B. C. D. F., quorum exempla in nostra editione secuti sumus, in universum inter se consentiunt ac breviorem praebent orationis formam quam codex A., in quo Abulfathi liber multis locis et locupletatus et retractatus legitur. Illi igitur libri antiquissimum exemplum exhibere ipsamque Abulfathi manum plerumque referre videntur. Leviora sunt, de quibus hi codices inter se dissentiunt, quaeque ad synonyma aliasque levioris momenti res pertinent. Codex B. etsi plerumque cum his codicibus congruit, de formis tamen grammaticis saepius cum codice A. consentit. Quam ob rem haud raro librorum C. D. scriptura repugnat et refragatur libris A. B. quorum alteri formas puras et integras, alteri autem barbarismos praebent. Sed in secunda maxime chronicon parte codices B. D. inter se consentientes a codice C. discrepant, cf. pag. 178, 10. 11. Illorum igitur verba ex eodem petita videntur exemplo, cujus scriptor antiquiorem, quae in codice C. reperitur, libri formam paullulum immutavit. Nihilo minus principales Abulfathi codices B. C. D. inter se arte cognatos esse inde comprobatur, quod iidem in omnibus errores saepissime reperiuntur : pag. 6, 11; 8, 9. 10; 34, 12; 50, 16; 71, 3. 4; 73, 4; 77, 3; 78, 5; 83, 1. 2; 88, 10; 89, 10; 106, 2; 107, 12; 125, 5. 8; 155, 1; 159, 5. 6. Hos igitur errores verisimile est aut in scriptoris autographo male fortasse scripto extitisse aut in antiquissimo chronicon apographo, e quo omnes horum codicum scriptores sive per se ipsi sive aliorum exemplis usi libros suos descripserunt.

Ab hac igitur annalium in codicibus B. C. D. forma longe abhorret codex A. ab Imrano pontifice descriptus.

Nam in eo codice, quem chronici Abulfathiani quasi paraphrasim appellaverim, quae annalium scriptor breviter descripsit per verborum ambitum enunciantur, quae obscure ab illo dicta videntur copiosa oratione explicantur. Loci Pentateuchi, qui in codicibus B. C. D. aut Hebraico sermone exhibentur aut in Arabicum versi sunt, in hoc codice magnopere amplificati proferuntur. Nam praeter ipsos hos locos versus, qui in sacris libris eos et antecedunt et sequuntur, primum Hebraico sermone exscripti ac dein Abusaidi verbis Arabicis explicati sunt. Alia quoque verba Samaritana, quae annalibus interdum interponuntur, in hoc codice Arabice vertuntur, id quod in caeteris codicibus rarissime fieri solet, cf. pag. 150, 16. Quibus omnibus annalium forma, quae est in hoc codice, verbosa ac nimis copiosa facta est. Haec tamen sive singularum vocum sive enunciationum additamenta pleraque levioris momenti sunt, neque quidquam ad enodandam scriptoris sententiam valent; immo interdum falsa sunt, cf. pag. 71, 3. 4. Haud pauca tamen eorum, quum novi quid iis contineretur, digna habuimus, quae in adnotationibus criticis Abulfathianae orationi subjectis proponerentur : pag. 25, 1. 2; 35, 7; 48, 1; 54, 14; 81, 2; 105, 1; 120, 5; 156, 9. Neque librarii negligentia, qua peccatum est contra primas grammaticae et orthographiae leges, impedimento erat, quin ea saepe scriberet, quae aut pro veris habenda sint, aut reliquorum certe codicum lectionibus anteponi debeant : pag. 30, 11; 49, 14; 76, 10; 91, 16; 92, 1; 151, 3; 157, 3. 4; 161, 15; 169, 15. Quae miranda ejusdem libri diversitas facile explicari posse videtur. Nam auctor exempli, quo Imranus utebatur, Abulfathi orationem prudenter auxit et amplificavit, etsi multa, quae leviora essent, adjecit. Sed codicis A. scriptor, quum Abulfathi annales una cum iis quae ille adjecerat describeret, et verba ejus saepius male

intellexit et formas grammaticas mirum in modum corrupit et depravavit. Enimvero pontificum et principum nomina in codicibus B. C. D. valde negligenter scripta locupletati illius exempli auctor ex ipso catenae libro, quo series eorum explicantur, emendasse videtur. Neque Imranus, quum librum describeret, nimium haec nomina vitiavit. Quam ob causam codice A. adjuti veras horum nominum formas aut Hebraicas aut Aramaicas exhibere poteramus; speroque paucas tantummodo superesse ineptas nominum formas, quibus annalium particulae superiore tempore editae redundabant, ut *Haban* (Ḥanan), *Jehanein* (Jahûnathan), *Neba* (Tobias) *Juma* (Jumaqîm) cet. *). Verum aliquot locis accidebat, ut codicis A. auxilio destituti sive alias ob causas rectas formas restituere non possemus. Quare codicem A. secuti magnam nominum copiam, quae in codicibus B. C. D. nonnunquam chronicis interposita nihil ad orationis contextum valet, omisimus, ne emendatus Abulfathi liber pravis horum nominum formis corrumperetur : pag. 55, 7; 59, 2; 60, 11; 72, 16. Haec autem nomina alio loco proponemus. Semel tantum ejusmodi nominum magnam vim exhibuimus, pag. 133, 7 sqq., caventes, ne si illo loco negligerentur, continua libri oratio interrumperetur. Sed quicunque haec nomina conspiciet, haud paucas eorum formas videlicet depravatas a vera linguae Hebraicae aut Aramaicae indole alienas esse intelliget.

Codicum igitur haec est ratio, ut codice C. antiquissima libri forma repraesentetur, quae proxime ad scriptoris autographum accedere videtur. Quae codicibus B. D. continentur eadem fere sunt, nisi quod paullulum sunt emendata, immutata, locupletata. Sed codex A. longe aliam

*) Acta eruditorum 1691 p. 173. Memorabilien II. p. 89. 97.

eamque ampliorem Abulfathiani libri formam exhibet. Particula illa decurtata codicis ms. Berolinensis, quam littera F. significavimus, plerumque cum codicibus B. D. consentit, raro ad codicem A. propius accedit, cf. p. 25, 1. 2., ut nonnullae hujus exempli emendationes antiquiori tempori tribuendae esse videantur. — In emendando igitur annali, quantum fieri poterat, codicem C. secuti sumus. Sed propter librarii peccata Abulfathi orationem saepius ad codicum B. D. fidem exigere et ubicunque hi nobis deerant, ad codicem A. confugere debuimus. Profecto propter mendorum multitudinem horum codicum ne uno quidem poteramus carere, quum saepissime unus tantum veram lectionem habeat, nec paucis locis omnes adeo depravati sint, ut quid scriptor sibi voluerit solummodo conjectura assequi liceat. Qua de causa ex ingenti variarum lectionum numero praecipuas tantum elegimus, quae Abulfathi libro in commentario critico subjicerentur. Innumerabilia vitia, quae punctis aut omissis aut falso positis commissa sunt, nunquam fere adnotavi. Elif otiosum ubi deerat in extremis verbis addidi. Si qua forma uni tantum codici propria erat uti مبيه codici D. aut سنوات codici A. aut in alio lecta alius ope corrigenda videretur uti ثلثعشر aliaeve id genus formae, has omnes silentio praeterii. Etenim quum hac de re virum perillustrem H. O. Fleischerum adiissem, is me hortatus est, ut quam paucissimas varias lectiones editioni meae adderem. Cui viri summi consilio, quantum fieri poterat, obtemperavi. Sed nonnunquam plures, quam necessarium videtur, librorum varias lectiones adnotavi eo consilio, ut aut ipsi lectori judicium his de rebus permitterem aut meam in rebus dubiis agendi emendandive rationem defenderem.

